EXEGESIS
PVRGATIONIS
SIVE EXAMINIS SAGA-rum ſuper aquam frigidam proiectarum:

In qua

Refutata opinione Guilhelmi Adolphi Scribonij, de huius purgationis & aliarum ſimilium origine, natura, & veritate agitur:

Omnibus ad rerum gubernacula ſedentibus maximè neceſſaria.

Autore Hermanno Neuwaldt,
Medicinæ Doctore.

HELMSTADII
Excudebat Iacobus Lucius Anno
M. D. LXXXIIII.

Ad pios Magistratus.

VAna superstitio quid non designat? aniles
Inueniens nugas, & nomina mille, nocendi
Mille artes, tacitosq; dolos: vbi lubrica verum
Deseruit callem fictæ mens subiuga fraudi.
Circumferte oculos, delubraq; vota Tonanti,
Priuataſq; domos aut structa mapalia ruri,
Et puteal lustrate sacrum, quod iura recensens
Ambiguas hominum nouit decidere lites:
Cuncta superstitio fœdauit adultera: cunctis
Dæmonis inuentu fanaticus error adhæsit.
Ergo hominum cœtus scissa compage laborat:
Triste nefas fucum recti induit: impius error
Iussa tribunalis temerat, fuciq; dolosam
Mendaces speciem, pro sano corpore præstant.
Vos ô magnanimus sanguis, quos viuere fas est,
Quos penes imperium est & ius & cura regendi:
Credite doctorum monitis, & si qua furenter
Irruit, audaces venienti ocurrite pesti.
Ferte citi ferrum, flammaq; & sumite pœnas:
Dum scelus in cursu, & firmat contagio vires.

M. Henricus Meibomius,
Academiæ IVLIAE
Professor.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISS: PRINCIpi ac Domino, Domino HENRICO IVLIO, Duci Brunſuicenſium & Lunæburgenſium, Epiſcopo Halberſtadenſi: & Adminiſtratori Mindenſium, Domino ſuo Clementiſsimo. S. D.

APud omnes gentes adeò admirabilis, magnifica & excelſa fuit habita diuinatio, ita vt, naturæ & artis limites excedens ſola dijs ſit attributa, vnde à diuino eſt denominata, quod ij duntaxat diuinare credantur, qui diuino furore perciti ſunt: Plato eam nominauit ἐπιστήμην θεῖον μαντικὴν ἄνευ ἀποδείξεως, quæ nimirum res indicet abſq; cauſarum cognitione aut demonſtratione, quod diuinitati maximè competere notum fuit diabolo, fanaticarum diuinationũ autori. Non enim intelligimus hic diuinationis ſpeciem quæ prophetia dicitur, & à

Deo immediatè, vel ab angelis mediatè proficiſcitur; neq; eam quæ naturalis eſt qualem Medici, nautæ & agricolæ exercent, ſed diuinationem ſic propriè dictam, quæ falſa & mentita eſt, & ſcripturæ ſacræ ex toto ſuſpecta, quandoquidem fit modo futura vel occulta indagandi illicito, non à Deo, ſed à Diabolo oſtenſo. Diuinationes excogitandi anſam arripuit ex diuinitatis affectatione, ne prorſus futurorum, ſoli Deo competentium, prædicendi facultate priuatus crederetur. Et alacrius huic operi incubuit, cum animaduerteret auiditatem & curioſitatem futura & abdita noſcēdi in hominibus eſſe maximam, qua eminere inter reliquos, & prodigioſis operibus clareſcere poſſint. Quæ res fecit, vt autoritatem & cultum, apud incredulos obtineret, amicitiam eorum ſibi conciliaret, pactoq; crudeli deuinciret. Pactum autem non ſolum alitur cum ea

Magiæ

Magiæ ſpecie, quæ operatrix dicitur, cuius tot ſunt ſpecies, quot ſunt res, quibus ad hoc vel illud agendum, vt ſunt exorciſmi, precationes, ceremoniæ, characteres & ſimilia, magi vtuntur, ſed etiam cum diuinatrice & expreſſum & obſcurum eſt pactum. Qui enim conuocant Dæmones ad mortuorum ſepulchra, cogunt in annulos vt fuit Gygis, ſpecula, cryſtallos, præſenteſq; conſulunt & horum reuelatione diuinant, expreſſum cum ipſis habent pactum. Obſcurius pactum hæ duæ ſequentes habent ſpecies: prima complectitur motus & diſpoſitiones rerum naturalium, ex quibus futura conijciunt, vt eſt Aſtrologia, augurium, auſpicium, chiromantia & ſimiles. Nouimus quenq; indulgere ſuis opinionibus: exiſtimamus tamen nos non adeò rudes eſſe, vt quouſq; cœli vires ſe extendant non intelligamus. Sacræ literæ, quibus conſentiunt etiam peripatetici, cœlo nihil

aliud tribuunt, quam vim illuminandi, diem & noctem distinguendi, anni tempora variandi & significandi, quæ omnia lumini & calori accepta feruntur. Qui particularia de tempestatibus, hominum vita & actionibus ex astris se diuinare posse contendunt, Idolatræ sunt & ea cœlo attribuunt quæ Dei propria sunt. Et cum speciosa sint illa præsagia & magnatum etiam mentes irretitas teneant, non immeritò à doctissimo quodam homine Astrologia vocatur mater omnium artium Magicarum superstitiosarum. Reliquæ in hac classe species meritò ridentur ab omnibus etsi non nulli adhuc earum impietatẽ approbent. Secunda complectitur eas artes, quæ sibi ipsis signa, ex quibus ariolentur fabricant, nec à natura accipiunt, cuius farinæ est Geomantia ex punctis terræ vel cineribus impressis augurans, rotulæ fabricatio, cribri motus, plumbi liquefacti in

aquam

aquam frigidã coniectio & aliæ ſimimiles. Poſterior harum ὑδρομαντία dicitur, ad quam hæc purgationis ſpecies per aquam frigidam, de qua acturi ſumus, pertinet. Hic enim vt in Geomantia (quam nonnulli ſine peccato aut offendiculo exerceri poſſe perperam contendunt) artificiale quiddam eſt, quod in ligatura decuſſatim facta conſiſtit, quæ à lictoribus Magis inſtinctu diaboli, inuenta, & populo nouitatis percupido cum oſtentatione oblata & probabiliter inſinuata eſt. Et ſanè difficilimum eſſe concedo conſuetudinem diuturnitate temporis antiquatam apud plebem abolere, quandoquidem opinio vulgi animo concepta adeò alte radices in illo agit, vt veritatis robur pariat, & citra eius offenſionem euelli vix poſsit. Prætendunt etiam antiquitatem conſuetudinis receptæ, quaſi ab ijs recedendum non ſint quæ antiqua ſunt, cum veritas non tempore ſed

rationum pondere ſtabiliatur. Neq; certi quicquam conſtat de purgationis huius origine, vel certo etiam autore: at vetuſtiſsimam eſſe cum Autore Diabolo facilè conceſſerim, cum ab initio vſq; mundi in imitatione operum Dei, & edendis miraculis curioſum ſe ſemper exhibuerit. Nemo enim ſatis admirari poteſt ipſius κακοζηλιάν & vafritiem, quā in perdendo genere humano vt Leo rugiens crudeliter exercuit. Non admiror in dementatione Magica & hoc experimentum fallaciſsimū admiſſum vſuq; receptum eſſe, nam & alia adhiberi ſolent quæ æquè ſuperſtioſa ſunt, & nihilòminus cum admiratione & applauſu vulgi vſurpantur, cuiuſmodi eſt abraſio pilorum in veneficis antequam torturæ ſubijciuntur. Rationem huius nullam habent cur veneficæ pilis præſentibus adeò fortes & conſtantes ſint, vt facinora non confiteantur, etiamſi crudeliſsimè torque-

queantur, ademptis vel leui torturæ cedant, & ſponte omnia manifeſtent. Superſtitioſa hæc ſunt & Magica, neq; dubium eſt huius experimenti occaſionem diabolum ex veteri teſtamento, vti & purgationum per aquã frigidam deſumpſiſſe, alijſq; obtruſiſſe. Atq; vt hæc purgatio à mulieribus de adulterio inſimulatis, & aquam Zelotopiæ bibere à Moiſe iuſſis manauit: ſic very non abſonum eſt, abraſionem illam pilorum à Samſone ortam eſſe, in quo abſciſis pilis omne corporis robur elangueſcens interibat. Verum id ſimpliciter de amiſſione pilorum affirmari neutiquam poteſt, quoniam in textu ſcribitur, dominum qui erat ipſius fortitudo, ab eo receſſiſſe. Simili ratione aquæ maledictionis, quæ pertranſibant femur adulteræ, ex ſua natura id non præſtabant, ſed vi verbi & iuſſus diuini. Mandatum nullum extat vel in ſacris vel prophanis; cuius tenore, venefi- *Iud. ca. 16*

cas ligatas, vel vt nunc faciunt, etiam ſolutas, ſuper aquam ad inquirendum, proijcere liceat, quod aquis, contra naturæ ordinem, nouo præcepto impoſitum non eſt. Quamobrē Reuerendiſſime & illuſtriſſime princeps Henrice IVLI, cum non ignorem, hoc experimentum ante hac ſæpè vſurpatum, nunc denuò vires reſumere, & Diaboli ſcholam indies creſcere, operæ pretium facturus videbor, ſi de huius origine, natura & veritate nonnihil cōſcriberem & poſteritati relinquerem, non vt ego mihi ex hoc laudis vel honoris vaniſſimos titulos compararem, ſed vt integritas gloriæ diuinæ aſſeratur, nec ipſius ſanctū nomen prophanetur aut tentetur. Meminit quoq; huius argumenti clariſſimus & doctiſſimus vir Ioannes Euichius Medicus ēxperientiſſimus, qui hoc tentamen tanquam βδέλυγμα, in tractatu ſuo de ſagis perſpicaciſsimo reijcit: interim tamen

primam

primam huius originem &absolutam huius & aliarum similium naturam inuestigare non instituit, ita, vt nihil mihi, quamuis scripto anteuerterit, præripuisse videatur. Vt ergo magistratus omnes scirent & intelligerent, quonam impietatis fœtore hæc purgatio esset conspurcata, opera M. Henrici Meibomij poëseos & historiarũ in hac Academia professoris germanicã versionem primum edidi: latinam quoq; nunc nonnullis in locis recognitam, rogatu doctorum virorum publicare visum fuit. Tuæ autem celsitudini Reuerendissime princeps hunc meum laborem ob causas hasce præcipue dedicare placuit. Primòquod celsitudo tua ad politiorum literarũ studia à teneris assuefacta & salutariter imbuta, teneatur arcana & abdita noscendi desiderio, quæ in hoc argumento multorum animos suspensos habuerunt, ita vt ad veritatis sacrarium peruenire non potuerint,

erint, & ſe hoc captioſo experimento irretiri paſsi ſint. Deinde cum celſitudo tua iam plenas gerat Magiſtratus vices, & in hoc negotio agatur de ſanguine humano, quem temerè effundere non licet, putaui hunc libellum propter dedicationem, tuæ Celſitud: fore commendatiorem, ita vt lectione huius alacriore, quid Magiſtratum cordatum & circumſpectum deceat, in adeo arcanis & boni ſpecie fucum facientibus, penitius introſpiceret. Tertio palam eſt T. Celſitudinem dilatatos habere imperij limites, qui ſe nunc vltra Viſurgim in VVeſtphaliam etiam extendunt, ad diœceſin Mindenſem pertinentes, in qua apud Mindenſes & Lubbecenſes hæc præſtigioſa ſpectacula aliquando fuerunt exhibita. Ideoq; non amplius T. Celſitudinis ſubditos hiſce vanitatibus aſtipulaturos ſpero, vbi cognouerint, ab ore T. Celſitudinis pro rei veritate & ex ipſis fontibus omnia

metien-

metientis & iudicantis, prorſus pendendũ eſſe. Quartò mouit me quoq; T. Celſitud. animus generoſus & inclytus, beneuolentia & fauor erga omnes literatos immenſus, præſertim erga eos, qui in Illuſtris ſcholæ IVLIAE caſtris militant, teq; perpetuum & ſupremum Ducem & Rectorem agnoſcunt & venerantur. Ad te igitur Reuerendiſsime & Illuſtriſsime præſul, vt Rectorem & ducem omni obſeruantia colendum confugio, ſub tui vexilli munimento hunc meum libellum lucem videre, & in publicum ire volui, vt tui nominis auſpicio, & Illuſtriſsimæ Reuerentiæ patrocinio munitus, tutus exeat, & inuidos caluminiatorum dentes effugiat. Proinde T. Illuſtrem Celſitud. ſummiſsè rogo, vt haſce tenues mei laboris primitias, æquo & benigno animo ſuſcipiat, ſibiq; commendatas habeat: quod ſi de T. Celſitud. mihi polliceri contingat, ad grauiora animum

mum applicare nunquam desinam. Postremo Deum, patrem Domini nostri IESV Christi toto pectore oramus, vt spiritus sui sancti efficacia omnes T. Celsitud. actiones & consilia regat & dirigat, ad nominis diuini gloriam, & T. Celsitud. salutem æternam, & huius vitæ incolumitatem temporaneam. Datæ Helmstadij, 22. Septemb. Anno 84.

T.

Illustris Celsitud.

subiect.

Hermannus Neuwaldt.

Nomi-

Nomina auctorum quorum testimonijs in hac exegesi vsi sumus.

Albertus Crantius.
Andreas Tiraquellus.
Andreas Alciatus.
Aristoteles.
Augustinus.
Basilius.
Biblia.
Callimachus.
Carolus Sigonius.
Claudianus.
Caspar Peucerus.
Codex Iustiniani.
Cœlius Rhodiginus
Constitutiones criminales Imperij Romani.
Cyriacus Spangenberg.
Decretales Epistolæ Pontificum.
Determinationes facultatis Theologicæ in Acade. Paris.
Didacus Couarruvias.
Extrauagantes.
Franciscus Irenicus.
Gerhardus Niger.
Gratiani Decretorum collectanea.
Gregorius Nazianzenus.

Hero-

Herodotus.
Hieronymus.
Homerus.
Horatius.
Iacobus Cuiacius.
Iodocus Damhuderius.
Iohannes Bodinus.
Iohannes Chryſoſtomus.
Iohannes Fernelius.
Iohannes Goropius
Iohannes VVierus
Iulius Pollux.
Lambertus Danæus.
Malleus veneficarum.
Martialis.
Martius Galæottus.
Moyſes Maymonis.
Nicephorus.
Pachymerius.
Pandectæ Iuris ciuilis.
Philarchus.
Plinius.
Plutarchus.
Procopius.
Roſella.
Sophocles.
Stobæus.
Thomas de Aquino.
Thomas Eraſtus.

DE

DE EXAMINE ET PVRGATIONE SAGARVM PER AQVAM FRIGIDAM

EPISTOLA

Gulielmi Adolphi Scribonij Marpurgensis. quæ Purgationem sane probare conatur

PRVDENTISSIMIS ET Iurisconsultissimis viris, Domino Henrico Floreken, & Domino Theodoro Cothmano, Consulibus, Scholarchis, & Consiliarijs Reipub. Lemgouianæ dignissimis: fautoribus & amicis suis obseruandis.

εὖ πράττειν.

CVM die vigesima quinta Septembris, Prudentissimi & Doctissimi Consules, ad vos Lemgouiam venirem: biduo post, die Veneris videlicet proximo ante ferias Michaëlis anni huius currentis 1583. tres Sagæ siue Venefícæ ob plurima & nefanda à se commissa peccata, Senatusconsulto extra

vrbem ignis flamma occisæ fuerunt: eiusdemq; diei vesperc tres aliæ protinus, quas illæ priores magistratui ceu socias, & suæ factionis consortes indicassent, à lictoribus comprehensæ, & carceribus mancipatæ: sequente autem die circiter horam pomeridianam secundam ad explorandam rei veritatem ante portas vrbis in aquas proiectæ fuerunt, vt videretur, num submersum nec ne ituræ essent. Nempe pedibus manibusq; ligatæ, & vestibus prius exutis hac ratione vinctæ erant, vt dextri lateris manus sinistri pedis pollici, & vicissim sinistra manus dextro pedi arctè colligaretur, vt ne minimum quidem se aut corpus suum mouere possent. A carnifice deinceps in flumen, millenis aliquot hominibus aspectantibus, & singulæ quidem vice tertia coniectæ ei instar trunci alicuius ligneι innatabant, nec vlla earum submergebatur. Et quod miretur aliquis, cum è carceribus per ciuitatum singulæ ad dictum examinis locum in singulis carris euehereniur, pluuiosa admodum tempestas iam ante orta, quamprimum, eo ipso fere momento quo Sagæ istæ

aquas

aquas contingerent, remittebat, adeo, vt dum illis supernatarent, ex improuiso Sole splendente cœlum omninò esset serenum. Ijs autem denuo extractis subitò iterum pluere incipiebat.

Huic ego spectaculo cùm interessem, rei visæ nouitatẽ summopere admiratus, vtpote quæ in alijs Germaniæ partibus vix audita esset: de examinis eiusmodi causis & rationibus nouisse aliquid cupiens, nihil certi rescire potui, sed dici tantùm intellexi ex obseruatione quidem nonnullorũ populorũ hanc præterita æstate consuetudinem introductam esse, vt si quæ sint Sagæ aut Veneficæ, vel saltem artis & societatis illarum ob antegredientem quandam reuelationem suspectæ, eæ prædicto modo examinentur, & quæ aquis supernatent, nocentes putentur, quæ verò submergantur, liberæ & insontes sceleriq; puræ credantur: nec tamen vllam huius iudicij sufficientem causam dare posse.

Vehementius itaq; rem indies demiratus cogitare cepi: an Physica aliqua & naturalis ratio huius præsertim rei, quæ hu-

mano consilio atq; iudicio excogitata introductaq; fuisset, inueniri & describi posset. Idq; eam maximè ob causam, quod vos prudentissimi & doctissimi Consules, præsentib. alijs cõsularibus à me petieretis, vt quid mihi hac de re videretur, significare, & vobis descriptum communicare vellem. Fateor itaq;, nec enim negare possum, rem hanc esse stupendam, & plurimum admirandam: non autem eiusmodi actionẽ esse puto, quam mente nostra haud cõprehendere queamus. Quamobrem etiam meam qualemcunq; sententiam, minus grauatè pro ingenij quod in me est tenuitate annotare volui, alijs eruditioribus occasionem præbiturus, vt illi propositam quæstionẽ caput hominis & vitæ discrimen concernentem, melius meliusq; perpendere & declarare studeant.

VVierus Philosophus Medicus libr. 6. de præstig. dæmon. cap. 7. huius consuetudinis mentionem faciens, eam nihili faciendam, & ceu rem siue indicationem sæpe fallacem contemnendam esse concludit. Nullis autem quæ videã certis argumentis sententiam suam tueri & defendere potis est.

Neq;

Neq; vllum quoq; ſpeciale in eo cap. proponit exemplum, quo teſtetur hanc Sagas cognoſcendi & probandi experientiam fallacem & incertam eſſe. Quamobrem VVieri teſtimonio nemo ſatis arguere poterit rei quã explicamus futilitatem & incertitudinem.

Præterea ante VVierum Iuriſconſulti quidam veteres, id quod te in primis Clariſs. & Doctiſs. Domine Cothmanne mihi monſtrante, è lectione illorum obſeruaui, eiuſdem rei mentionem fecerunt, ſub titulo vel nomine purgationis per aquam frigidam. Cuiac. in com. 2. ſuper lib. 1. de Feud. Gerh. Nigri hoc iudicium aquæ frigidæ definit, indicans hoc in Longobard. prius vſitatũ, ſed denuo exolutum fuiſſe. Iodocus inſuper Daumhoude. Brugenſ. in rerum crimi. praxi cap. 43. Eodem, inquit, pene tempore & aliæ purgationes & vulgares fuere receptæ quibus à præſumtionibus & ſuſpicionibus diffamati & delati purgabantur. Nempe cum candens ferrum vola manus compreſſerant, aut cum ſuper ignito ferro nudis plantis inceſſerant, hiſue ſimilia: de quibus purgandi formis multa donata ſunt à

principibus priuilegia Flandriæ. Porro Gandenſibus ciuibus à Comite Flandriæ indultum priuilegio fuit ſeſe purgare aqua frigida, &c. Earundem purgationum meminit Didacus Conarruuias à Leyua Toletanus Archiepiſ. Hiſpan. lib. 4. cap. 23.

Philarchus inſuper refert in Inſula Ponto genus quoddam eſſe hominum, qui propemodum omnes artem norint Magiæ illicitæ & præternaturalis: eorumq; indicium eſſe imaginem in altero oculo equinam, in altero autem geminæ pupillæ, qui nulla ratione poſſint in aquis ſubmergi, vt maxime pluribus etiam veſtimentis aggrauentur & onerentur. E quo cognoſcitur in Ponto quoq; vſitatam fuiſſe conſuetudinem purgandi Sagas per aquam frigidam. Et alij plures eandem purgationem deſcribunt. Sed verbotenus tamen illi definiunt potius, quam vere interpretantur, qua de cauſa hæc maxime purgatio adhibita ſit. Nulla enim Catholica ſiue conſtans aut firma ratio additur. Equidem vero quod vidi diligentius perpendens cenſeo, ſi nec ego, nec VVierus: nihilominus tamẽ alios forſan cauſam aliquam

quã purgationis inuenire posse. Quod enim hominum logicæ intelligentiæ subiectũ est: eius quoq; causa aliqua, si non omnino certa, attamen probabilis inquiri potest: qua etiam, si certa desit, mens humana acquiescere solet. Sagarum verò illud examen humano consilio iudicioq; introductum est. Ergo non dubium, quin certis de causis & argumentis excogitatum fuerit, vt maxime prisci illi autores ista suis descriptionibus non addiderint.

Omnium proinde Academicorum Peripateticorumq; Philosophorum vnanimis & concors hæc sentẽtia est, leuia ferri sursum, & superiorem quenq; locum petere: grauia verò deorsum ferri, & inferiore semper loco pro suapte natura gaudere. Vnde fit, vt vel maximum lignum propter raritatem essentiæ, quam leuitas consequitur (omnia enim rariora sunt quoq; leuiora) aquis supernatet: lapis autem, siue plumbi portio vel minima, ad fundum feratur. Ex hoc igitur fundamento physicorum propositæ quæstionis sentẽtia deducenda & concludenda videtur: quare videlicet Sagæ potius, quam

causa [illegible] examinis investiganda

aliæ mulieres ſuper aquas ferantur, nec ſubmergantur. Atqui obiecerit quiſpiam, opinor, protinus eandem eſſe & materiam, & formam corporis Sagarum, quæ ſit aliarum fœminarum: eaſdemq; qualitates à primis ortas, quo ad leuitatem & grauitatem. Si igitur Sagis leuitas quædã adſcribenda ſit, non minorem quoque aliarum mulierũ concedendam eſſe. Quamobrem aliud principium ad quæſtionem noſtram conſtabiliendam aſſumendum erit.

Dico itaq; Veneficas prioris ſuæ formæ ſtatũ eo ipſo tempore protinus amiſiſſe, quo neceſſitudinem cum Satana & familiaritatem inierunt, nec amplius eſſe tales homines, quantum ad formam interiorem, quales ante fuerunt: adeoq; nouam prorſus formã aſſumere. Sagæ ſcilicet definiri poſſunt homines eſſentiam Diaboli, à quo obſidentur, participantes. Malus enim iſte genius, ſpiritus & rex aëris, qui cauſa & origo eſt delictorum peccatorumq; omnium, corda malarum iſtarum mulierum, & partes reliquas vniuerſas ita occupauit, vt totus per totam illarum eſſentiam, eſſentiæq; partes

Sagarũ deſcriptio.

ſingulas

singulas substantialiter sit diffusus: imò vt tantisper, dum pœnitentiam veram haud egerint, & omninò resipuerint, non possit ab vlla corporis earum parte abesse. Vnde fit, vt vbicunq; moueantur, hunc secũ gestent, ideoq; nihil quoq; boni amplius cogitare aut efficere, sed pessima & deterrima quæq; scelera & flagitia perpetrare, peccataq; enormia committere soleant, nihil nisi detrimẽtum atq; pernitiem aliarum creaturarum molientes. Quamuis enim nonnunquam bonitatem, pietatem, sanctimoniamq; nescio quantam simulare videantur, adeo vt vel Dei Opt. Max. mensam cum alijs accedere interdum non vereantur: id quod obseruatum fuit in quibusdam, quæ primis quoq; diebus postquam id fecissent comprehensæ fuerunt: id fit ex instinctu tantum & permissione Satanæ, vt alijs hominibus ipsarũ malitiam non sentientibus, eas diutius in retibus suis retinere & magis magisq; decipere possit, & ne vel ipsæmet Veneficæ omnimodam Satanæ, quem amicum suum familiarem agnoscunt, malignitatem animaduertere valeant.

Quæ cum ita se habeant, nemo vtiq; dubitauerit, quin & totius corporis ipsarum facultates & potentiæ prorsus immutatæ sint, ac pristina earum forma perierit. Mali autem ingenij natura planè spiritualis est, ætherea, siue etiam si placeat, aërea, leuissima, in omnem locum sublunarē celerrime permeabilis. Quapropter putauerim ipsum in Sagarum corporibus residentem sua essentia spirituali atq; volatili siue leuissima, longissime etiam leuiora illa reddere, quam uis hoc ab alijs non deprehendatur: vel potius ita attrahere spiritu suo ipsis essentialiter infuso ac inhærente, vt per eius leuitatem sustentatæ, nolētes volentes, sub aquas ferri non possint. Argumento est & documento, vt mihi videtur plane verisimili: quod eas sæpe numero in sublimem vsq; aërem trahat, quibus pro sua alioquin corporata quam obtinent natura, eo vsq; ascendere impossibile futurum sit. Quod si verò hoc imaginarium & falsum esse quis putet, vtpote quòd ita contingere sua tantummodo imaginatione sibi persuadeant: experientiæ contra argumēto nitor, quæ sæpissime

testata

teſtata fuit, homines etiam quos cum malo ſpiritu vllam habere coniunctionem nemo vnquam deprehendiſſet, ab eo ex vna platea in alias longiſſime diſſitas, aut ſæpe quoq; ex vrbe aliqua vel pago in campos ſiue remotiores, prius in aërem ſublimiorem quaſi capillis ſubiectos, violenter proiectos fuiſſe: vt tum alibi, tum Marpurgi aliquoties contigiſſe reſciui. Atqui exempla ſunt odioſa. Verum enim vero facile obiecerit aliquis, ſi ſpirituali leuitati adſcribendum ſit, quo minus veneficæ mulieres, quam aliæ ſubmergantur: purgandi tamen hanc rationem eſſe incertiſſimam & fallaciſſimam. Quandoquidem & aliæ ſpiritum ſuum ita forſan cohibere poſſint, quo facilius aquis ſupernatent. Quemadmodum videmus eos, qui ſpiritum corporis diutius in ſe retinere & cohibere valent, longinquius etiam & diutius natare poſſe. Atqui compertum & exploratum eſt omnibus, natationem non tantum à ſpiritus cohibitione, ſed multo magis proprio & validiore corporis partium motu effici & meliorem fieri. Cum verò Sagæ & aliæ innocentes mulieres eodem

modo

modo vinciri & ligari ſoleant: nec magis nec minus hæ quàm illæ & viciſsim corpora ſua mouere poſſunt. Et ſpiritus ſiue aër exterior, quam qui natare ſolent attrahunt, alijs non minus intercipitur aut excluditur quàm Sagis, & hiſce contra non magis intercipitur quàm illis. Attamen iſtæ quæ innocentes ſunt, qualemcunq; ſpiritum attrahant, ſubmerguntur. Quippe experientia teſtis eſt, omnes illas, quæ non ſubmerſæ fuerunt, deinceps ſpontanea confeſsione ſe reas aut nocentes eſſe ſignificaſſe. E quibus ſatis palam liquet error VVieri, qui contendit, ob ſpiritus cohibitionem quaſdam non ſubmergi, cum nihil prohibeat, quin & aliæ ſpiritum ſuum fortiter cohibere valeant.

Quapropter non video, quid abſurdi inde ſequatur, ſi dicam ſpirituali (Satanica nimirum) leuitate ſiue ſpiritu aëris Sagas in altum trahi, aut in ſuperficie aquarum ſeruari, ne in ijs pereant. Sed obiecerit aliquis: Ergò ne igitur Satanas ſaluas & incolumes cupit haſce ſuas miniſtras? Quis amabo finis eſt illius attractionis ſiue

ſuper

ſupernatationis veneficarum? Nequaquam certe illarum conſeruationem ſpectat. Sed ſua naturali potentia ex permiſſu Dei Opt. Maximi eas in aquis ſuſtinet, fouet & trahit, non quidem in hunc finem, vt ſeruentur aut liberentur: ſed potius, vt Diabolica ipſarum neceſsitudo, & quod cum malis habeant genijs conſortium, aſpectantibus innoteſcat, ipſæq; in maius & pernicioſius corporis pariter & animæ diſcrimen adducantur. Nempe Satanas ipſe ceu miniſter & lictor ad iuſſa diuina exequendum deſtinatus, eas hac ratione magiſtratui & vniuerſo populo indicare, earumq; impietatem puniendam eſſe vult (imo nolens etiam volens cogitur) ſignificare, vt mercedem ſuam, quã promeritæ ſint, accipiant. Omnes enim eos, quos ad ſceleſtum aliquid perpetrandũ pellexit, tempore præſertim eo, quo diuinæ Maieſtati viſum fuerit, ad extremam pernitiem vel lubentiſsimè adducit. Cauſas igitur naturales purgationis Sagarum per aquam frigidã quærentibus non præter rationem ego dixerim: Cauſam efficientem illius eſſe Spiritualem in ipſarũ corpore quæ

à ſimili

à simili in eo contenta leuitate oritur attractionem: Causam vero finalem, vt natura talium hominum manifestetur. Cum enim spirituum substantia mortalium visionem effugiat (neq; enim vllus vel tractabilis vel aspectabilis est) proposita purgatione tanquam medio conuenienti & idonco, quod homines visu suo queant percipere, vtitur, vt cuius corpus videre non possint, eius tamen voluntatem & legationē cognoscant. Quibus consideratis non inanem omninò, & pro nihilo habendam esse duco, Consules prudentissimi doctissimiq;, vestram in ciuitate Lemgouiensi consuetudinem examinandi & purgandi Sagas per aquam frigidam.

Etiamsi enim in sacrarum literarum monumentis nullum expressum de hac quæstione præceptū legatur: inde tamen haud consequitur, hanc in natura quoq; nullam habere originis suæ rationem. Infirmissima enim hæc consequentia est absurdissima: purgatio Sagarum per aquam frigidam in sacris literis non traditur aut præcipitur: Ergo nulla quoq; naturalis ratio eius dari potest.

potest. Multo ineptior est argumentatio. Purgatio Sagarum est contra naturā: ideoq; non admittenda: Quia omne corpus hominis vinctum & ligatum non potest non submergi. Sententia hæc est ignorantium principia physicorum, qui docent: Multa contingere præter naturam, quæ tamen non sint contra naturam. Et eo ipso quod præter naturam ista purgatio videatur, intelligitur aliquid singulare per eam significari: corpora videlicet Sagarum quæ non pereant aliter affecta & disposita esse quam aliorum hominum corpora. Item. Quandoquidem in Euangelio nihil de ea legitur: Ergo impia est & minime obseruanda. Multa sunt quæ nec præcipiuntur in Bibliis, nec prohibentur, & tamen suis de causis in Ecclesia à Theologis admittuntur, qualia sunt quæ ab ijs dicuntur adiaphora. Nequaquam enim contra pietatem esse puto eiusmodi suspectos homines in aquis purgare: præsertim quia propter hanc vnam purgationem nulla condemnari solet. Et hæc sunt prudentissimi & doctissimi viri, quæ ob vestram petitionem breuiter meditatus fui.

Saluum

Saluum tamen Theologis, Iuriſconſultis & Philoſophis, quorum omnium hæc quæſtio communis eſt, ſuum iudicium liberrimè lubentiſſimeq; relinquens.

Scriptæ & datæ Lemgouiæ in comitatu Lippienſi, ex ædibus Domini Conradi Grothenij vrbis veſtræ Typographi, 4. Octobris Anni huius 1583.

P. & Cl.

Veſtræ

Addictiſſ.

Gulielmus Adolphus
Scribonius Marp.

DE

DE PVRGATIONE SAGARVM PER AQVAM FRIGIDAM.

VNica ferè ſuperſtitio eſt, latiſſimè tamen diffuſa, qua Diabolus Chriſtianorum hoſtis infeſtiſsimus, genus humanũ à Deo abalienatum ad ſe pertraxit, ſuoq; imperio ſubiugauit: Etenim ſuperſtitionis lenocinio & ſeçuturæ potentiæ & ſapientiæ perſuaſionibus, ſi de arbore vetita comederent, primos parentes ſeduxit, & aſtutè ſe in eorum cõmercium inſinuando exitio eos deſtinauit. Nec quieſcit adhuc hodie ſpiritus ille noſtræ pernitiei inhians, ſed vt leo rugiens hinc inde vagatur, vt in explebilem perdendi famem ſedet. Ad quod efficiendũ potentia ſumma non deſtituitur, quandoquidem donum fauoris & gratiæ diuinæ amiſit, haud potentiam, Dei tamen potentiæ ſubiectã ſuiſq; definitis limitibus coërcitam, ne in exitiũ noſtrum quæcunq; velit exequatur. Nam etſi potentia illa maxima & ſublimis eſt, nec vlla ſuper terram quæ cum illa comparari poſsit vt Iob teſtatur: In rebus tamen externis homo plus poteſt *Cap. 4.*

quam ille qui quocunq; tempore,& quàn docunq; vult niſi corporeis obſtaculis,p-hibeatur alijs theſauros auferre poteſt, quod illi denegatum eſt, imò ne aſſumere ab offerente poteſt, Dei ſumma ſapientia ita decernente. Econtra Satan latenter ſe in cuiuſpiam phantaſiam inſinuare poteſt, niſi ſingulariter à Deo prohibeatur argentum aurumue auferre nullo modo poteſt. Et fur generali conceſsionis modo conatur ſi externis obſtaculis non impediatur,impetum in aliena bona facere: ſic eodē modo noſtræ ſaluti inſidias ſtruit, vtroq; tamen ſuis impedimentis circumuento. Permittit illi quidem multa Deus ſed tunc tantum, cum ipſo tanquā inſtrumento ad gloriam ſuam & ſuorum ſalutem vti decreuit vt hiſtoriaIobi clarè docet. Ita enim omnia limitantur,vt ipſi gloria vel potentia creationis, pluuiam rorem ſerenitatem vel tempeſtatem generandi vis non attribuatur,quod ſolius *Cap. 14.* Dei eſt,vt teſtaturHieremias,ſed materiā ventorum,pluuiarum &ſimilium agitare in hoc vel illud cœli clima prouehere, omniumq; quaſi horrendam inuerſionem minitari Dei permiſſu poteſt. Fatentur ſæpè veneficæ ſe aqua in foueam fuſa & poſtea

poſtea turbata tempeſtates & tonitrua commouiſſe, quod falſum eſt, & ludibrio plenum. Nam diabolus futurarum tempeſtatũ tempus ex ſignis naturalibus obſeruans imprudentibus illis perſuadet, ſe eas dictis medijs & verborum admurmuratione cõcitaſſe, idq; ope & permiſſu Sathanæ, quo maiorem reuerentiam & metum apud illas ſibi conciliet. Quicquid igitur facit Dei decreto & permiſſu facit, hominũ peccatis tale quippiam promerentibus, ne permiſsio mali notam ipſi inurere videatur. Teſtatur hoc D. Auguſtinus cũ inquit: Voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omniũ corporalium ſpecierum & motionum, nihilq; fit in tota iſtius creaturæ ampliſsima & imẽnſa Rep. viſibiliter, quod non de interiori inuiſibili atq; intelligibili aula ſumma Imperatoris aut iubeatur aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſticiam præmiorũ atq; pœnarum. Variè autem in hoc ſuo molimine rete illud fraudulentum & doloſum tendit, & vt maiore operum ſuorum applauſu fauorẽ ſibi conciliet, ſummè nititur Dei maieſtatem & potentiam vt ſimia imitari, quò facilius imprudenti plebi imponat. Quomodo olim in popu-

lo Dei & inter Ethnicos præſertim hoc tentauerit, declarant vetuſtiſsima oracula in multis locis celebrata, vt hiſtoriæ teſtantur: quæ etſi primum fuerunt loca vero Dei cultui conſecrata tamen creſcẽte hominum malitia, & diabolo vlterius ad impietatem inſtigante, in horrendiſſima ipſius cultui deſtinata degenerarunt delubra, in quibus ad labefactationẽ nominis & maieſtatis diuinæ ipſe colebatur, ſacra fiebant, & de futuris & occultis reſpondebat. Horum exempla in medium proferre ob rei indignitatem & turpitudinem non placet, quibus inſidias gloriæ & maieſtati ipſius olim ſtruxit. Hiſce temporibus etſi vndiquaq; verbi Dei lux nos circumfulgeat, non ceſſat tamen multorum animas ſuarum impoſturarum vmbris dementare, eoſq; totos ſibi mancipare idq; ſpecie dementationis callidiore. Mirum enim eſt in tanta diuinæ veritatis luce nonnullos adhuc exiſtere qui tam fœdiſsimè ipſius laqueis irretiuntur, vt hodiè in Magis & Sagis experimur. Quorum illi etſi tacito cum diabolo confœderati ſunt pacto & minus etiam alios lædunt: tamen eandem cum Sagis & Lamijs pœnam merẽtur, quod artes impias

contra

contra Dei mandatum didicerint & exercuerint vt ſcriptura iudiciũ illud tulit. In æquali igitur non debent affici ſupplicio in quos eadem pœna lata eſt. Delectari & ad beneficium adduci videntur ſagæ ob vindictæ cupiditatem aduerſus lædentes: nonnullæ ob Venerem exercendam quamvis ſint vetulæ: aliæ ob comeſſationes & conuiuia itemq; choreas ducendas: aliæ ob futura præſagiẽda occultaq; reuelunda & his ſimilia ex quibus diuerſæ diuerſa ſectantur quamuis pleruńq; ꝓcliues ſunt ad omnia. Quæ quam ſtupenda ſint & pijs auribus indigna, quiuis per ſe facilè intelligit, nec vana hæc ſemper eſſe experientia ſatis ſuperq́; declarat, quod hoc loco vlterius perſequendum non duximus. Multa profectò efficiunt interuentu illius pacti, non tamen quiduis pronutu ſuccedit, cum vis illa à Deo ſit refrenata & ſuis limitibus incluſa. Quod ſi non interuenerit fruſtra omnes pulueres characteres & coniurationes adhibentur, quæ etſi nullius ſint momenti ex pacti nihilominus efficacia interdum expectatum ſortiuntur euentum. Verum pacta hæc cum diabolo inita cum ſint contraria legi diuinæ, quæ Dijs adhærere vetat, pugnent

gnent cum honestate tendant ad proximi exitium, magistratus non debet in hoc negocio iudicis officiũ deponere, & cum exploratis conniuere sed in eo potius totus esse, vt impura & diabolo mancipata cohors, à Christiana societate exterminetur, ne malum vlterius serpendo contagio tenaciore imprudentes polluat aut contaminet. Videndum tamen interim & summa circumspectione vtendum, ne in suspectos aut alios reos proclamatos temerè animaduertatur non consideratis omnibus circumstantijs, sæpissimè enim in hac parte peccatum, non sine graui animi dolore, nouimus. Neq; tamen hæc ita à me accipi volo, quasi eiusmodi diaboli mancipia nusquã existant aut capite plecti non debere existimem: sed quod sentiam in hisce puniendis ob multas causſas circumspectione accuratiore opus esse, ne vel communi famæ nimium concedatur, nec probationibus quibusuis leuissimis & pietati contrarijs locus relinquatur, ad quæ multos video inclinare & à firmioribus & constantibus, ad infirmiora & ludicra confugere examina, quibus ὁ πονηρὸς συνεργεῖν videtur.

Cum

Cùm autem ad manus noſtras peruenerit Epiſtola quædam Guilhelmi Adolphi Scribonij publicè Lemgouiæ edita, in qua aſſerit licere Magiſtratui ad explorationem veneficarum eas, vinctis ad pedes decuſſatim manibus, nudas in aquam proijcere, hac conditione ſi ſupernatent aqs, reas: ſi ſubmergãtur inſontes eſſe. Operæ precium facturũ me exiſtimaui, ſi in hoc examen aliquanto penitius inquirerem, quantum ingenij mei tenuitas pateretur. Ego vt nemini quicquã derogem vel mea alijs præferam, fateor rem eſſe valde arduam & inextricabilem, quæ cæco ignorantiæ impetu primum exorta, tandem cõſuetudinis diuturnitate inualuit: Origo certè huius ſolennitatis ignoratur, & tamen imprudentibus nobis ſeſe conſuetudo inſinuat, & obrepit, voluntateſq; noſtras obſcurè primũ, tùm etiam apertè ſibi conciliat: poſtremò tantum acquirit authoritatis & gratiæ vt regnet domineturq; perinde vt lex & interdum lege vehementius. Nec vt ſcribit ille, conſuetudo ſolum præterita æſtate cœpit, ſed in Vveſtphalia fermè antè annos octodecim eſt paſsim obſeruata. Cæterum num rectè an ſecus factum ſit, & an Iuriſperitis hæc

per frigidam aquam purgatio probata & in more posita fuerit, videtur esse indagandum & exquisitius rimandum. Deinde quoq; video causſas physicas in medium allatas proponi, quibus fides vel minima non erit adhibenda.

Nos itaq; primum sine tamen præiudicio aliorum doctorum & experientia plus confirmatorũ de consuetudine longo vsu recepta, differemus, & citatas à Scribonio populorum consuetudines examinabimus, vtrum proposito demonstrando sufficiant,& an eædem prophanæ vel religiosæ licitæ vel illicitæ fuerint. Deinceps physicarum rationum pondera, æqua lance examinabimus & pensitabimus ne quid indiscussum relinquatur. Difficile est fateor etiam prudenti inuere, quid in re quaq; verum aut falsum sit, æquum an iniquum. Sæpè enim vsu venit vt tum amor tum odium, quibus in priuatis controuersijs consulti promouentur, tum etiam propria commoda adeo perstringant eorum oculos, vt nequaquã verum intueri possint: atq; ita propter præsentem cuiusq; aut voluptatem in amore aut dolorem in odio, aut cupiditatem in cõmodis, in nonnulis etiam pessimum

mum & abominandum præiudicium tota res diudicanda errorum tenebris inuoluatur. Aliter decet homines Christianos in hoc negocio ꝓcedere, in quo non de cassa aut vitiosa nuce agitur sed circa hominum salutem cardo vertitur. Magistratus enim Dei vices sustinens & ipsius iustitiæ sincerus æmulator ita debet officio commisso fungi, ne temerè aut citra rationem aliquid suscipiat, quod ipsum reum criminis agat, aut sanguinis humani rationem ab eo postulet. Fieri sanè potest, vt exorto tam tumultuario diaboli balneo, quod totum humanæ salutis exitio abundat, plurimæ etiam insontes ad supplicium ignis damnatæ rapiantur. Vnde magistratus omnes placidè moneri debent, vt re benè & ad amussim perpensa, nihil temerè aggrediātur quod cum aliorum sum̃o fiat detrimento. Nemo autem cogetur nostris assentiri (non enim decet in vllius iurare verba Magistri) sed cuilibet liberum relinquetur iudicium & meliora excogitandi locus. Nos si veritatem non planè attigimus dabimus certe operam vt non procul ab hac collimemus.

Quod attinet ad Iacobum Cuiacium & Gerhardum Nigrum in cuius librum

Feudalem primum ipſi adſcriptum is cõmentatus eſt, tenendum erit quod eo in loco à Cuiacio referantur tria purgationũm genera, per iuſiurandum, duellum, &tertiò purgationem,quæ fit vel per ferrum candens vel aquam feruentẽ vel frigidam & ſimilia, quorum primum Canonicum appellatur, reliqua omnia vulgaria. Iuſiurando tantum attribuitur locus in Feudalibus.

Purgatio vulgaris per duellum Friderici Imperatoris conſtitutione in certis caſibus admiſſa impia à Cuiacio eſſe dicitur: Apud Longobardos autem propter vetuſtatem in gente conſuetudinem non potuiſſe abrogari fatetur Lintpardorum rex. Et in decretis eadem prohibetur, nimirum quod Dauidis &Goliath duellum in ſpecie probandũ, non facit vt p lege habeatur, neq; ea quæ in veteri teſtamento in figuram concedebãtur, trahenda ſunt in exemplum, vt Tyraquellus monuit. Præterea iuri diuino quoq; eſt contrarium. Non occides. Non Deum tentabis: quando is qui iuſtioreẽ cauſſam habet ſæpè etiam occumbat & ſub iuſto clypeo pereat. Tunc enim DEVS tentatur cum tentat aliquis ad aliquid peruenire,

uenire, quod efficere non poteſt niſi per miraculum fiat. Per duellum autem quæritur vt vincat non ſolum abſolutè fortior, quod naturale eſt, ſed etiam iuſtiorem habens cauſſam, etſi minus ſit fortis, in quo fit miraculum contra naturæ ordinem. Huc reſpexit Martial: *Libr. 1. in Epig. vbi Deciani dogm: late.*

Nolo virum facili redimit qui ſanguine famã,
Hunc volo laudari qui ſine morte poteſt.

Huius purgationis exempla in hiſtorijs multa paſsim occurrunt. Vmbrici controuerſias exortas per duellũ armati componebant. Qui enim aduerſarios interemiſſent iuſtioré habere cauſſam cenſebantur vt refert Stobæus. Et Procopius ſcribit: ad vrbem Romam in campis Neronianis ſtadij locum patentiorem fuiſſe, vbi ſingularia olim inita fuerint certamina. Pachymerius quoq; vetuſti moris fuiſſe ſcribit, vt imperatores, ſi quando dubij criminis rei eſſent litem duello dirimerent. Alij alia de his prodidere non ſolum apud Græcos ſed etiam Romanos, quæ hoc loco omittemus, modo hoc alta mente fixum maneat, impia hæc eſſe certamina, neq; patriæ conſeruationi accõmodata, dum ob priuatas principum inimicitias *Serm. Io. libr. 2. de bel. Goth.*

micitias, resp. vel detrimentum capiunt vel funditus euertuntur.

Altera purgatio vulgaris fiebat per ferrũ candens, cuius mentio quoq; fit apud Sophoclem. Quod qui suspecti de crimine attigissent sine aduſtione insontes: qui adurebantur rei habebantur. Sic Cunegundis Heinrici secũdi Imperatoris vxor de adulterio suspecta facta ignitos vomeres, pro eius temporis consuetudine calcauit & vndecies repetijt. Maria Augusta Otthonis tertij vxor, per ferri candentis experimentum de facti crimine fuit conuicta, sumpto ab ea supplicio. Ipsa enim Comitem Mutinensem in amorem sui pel licere conata, postquam reluctari libidini suæ vidit, ira furens, se ab illo de stupro tentatam apud Otthonem insimulauit. Eius rei admonitus Comes, totã vt erat, coniugi suæ, mnlieri prudentissimæ patefecit: se citius millies moriturum quã tantum Imperatoris dedecus palam facturum. Proinde ipsam precibus obtestari, vt forti atq; imperterrito animo apud eum mortui innocentiam sui purgaret. Neq; ita multò post Comes irati & credu-li Imperatoris indicio condemnatus pœnas capite dedit. Conuentu inde populis

ad

ad Roncalias inſtituto, quo die ius viduis dicebatur, mulier proceſsit, atq; ex lege Imperatorem ipſum ad ſupplicium quod maritum ſuũ iniuſtè necaſſet poſtulauit, qua voce audita mirabũdus Ottho: At tu quonam pacto inquit viritus quam iactas innocentiam comprobabis? cui illa, candenti lamina inquit: atq; mox inſpectantibus omnibus ferrum ignitum iuſſu Otthonis allatum, ſine vlla offenſione prehendit. Ea re Ottho confuſus, ſe quidem pœna dignum eſſe dicere, verum ad eam ſubeundum ſpacium poſtulare. Tam mulier tribus vadimonijs dilatis. Atqui inquit Ego ſupplicio Reginæ contenta ſum, cuius nefaria calumnia maritus meus eſt oppreſſus. Ottho muliere collaudata reginam cremari iuſsit vt Carolus Sigon. refert. Pachimerius *a* quoq; teſtatur, ſe adoleſcente nonnullos maſſam ferream candentem, manibus citra noxam ſuſtuliſſe, eoq; modo innocentiam per miraculum teſtatam reddidiſſe. Cum alioqui antè vſitatum fuerit, vt teſtes producerentur, iuſiurandum deferretur, cum vitæ anteactæ conſideratione & diligentiore exploratione. In Liuoniam quoq; hæc purgatio, à Templarijs, iurisdictionem in

Lib. 7. de Otth. III.

a Lib. 1.

eos

eos habentibus introducta, populo pro laniena impia fuit habita, & vt ab eo iugo moleſtiſsimo immunes eſſent, res ad Honorium tertium pontificem eſt delata cuius mandato ſublata & abrogata eſt. Et alibi Canon inquit, ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione confeſsionem extorqueri à quoquã, ſacri non cenſent canones. Et quod ſanctorum patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione præſumendum non eſt. Græci quoq; ſub Andronici Palæologi tẽpus, ad Eccleſiaſticas controuerſias decidendas, ad ignis probationem confugerunt, ſed euentu admodum infauſto, vbi rem ſeriam nugis inuoluere auſi fuiſſent. Vtriuſq; enim factionis libri in ignem medio templo extructum, cum inuocatione iuſti ſuper nocentem iudicij diuini, iniecti ſimul combuſti perierunt, ijs qui iuſtiorem habuerunt cauſſam nihil tale ſperantibus: vt Nicephorus teſtatur. Albertus Crantzius exemplum huic contrarium adfert, de Poppone quodam Dano contendente veritatem potius rebus, quã verbis cõprobandam: Ille enim ignitam Chirothecam intrepidus, ſine contractione vultus, aut vllius doloris ſignificatione,

C. dilecti x̃. de purgat. vulga.

C. conſulu iſti 2. q. 5.

Lib. 6.

Lib. 3. Metrop. c. 34.

tione, ad monſtratum locum cum omnium admiratione deportauit. Ad aſtantes verò dixerat: Cernite virtutem IESV Chriſti, cui parent Elemẽta omnia: quippe qui fecit cœlum & terram, & omnia in his degentia. Exempla hæc annotare placuit, quæ etſi in nonnullis veritatem patefecerunt, tamen ab illis iudicandum non eſſe, omnes mediocriter docti norunt, & eſſe hæc impia & illicita ex Honorij tertij reſponſo ad Liuonienſes meridiana luce clarius liquet. Teſtantur etiam hiſtoriæ, tempore Regis Manaſsis & Hircani multos per ignem tranſmiſſos horribili illo ſacrificio eſſe conſumptos, etſi nonnulli illæſi per eum tranſierint. Ritus hos in totum damnat ſcriptura. *Deut. 18.*

De origine huius purgationis à doctis nihil annotatum video: ſi ſuſpicionibus indulgendum quicquam eſt, hæc eius poterit eſſe origo. Diabolus Dei operum mirabilium μιμητὴς vaferrimus, hanc purgationem forſan, aliquibus ſuperſtitioſa perſuaſione inſtillauit, ad exemplum trium puerorum apud Danielem in ignitum fornacem coniectorum, attamen propter veritatem

&

& ſincerum Dei cultum ne tantillum violatorum. Et cum Dominus, qui eſt ipſa veritas ignis ſpecie, Moſi è medio rubo apparuerit, & dicatur in ſcripturis inhabitare lucẽ inaceſſam, nomineturq; ignis conſumens, falſa de diuinitate perſuaſiõe ſpiritus ille κακοζηλῶ horrendos ignis abuſus inuexit, quales fuerũt in Vr Chaldæorum, Græcorum ἑστία, in latinorum igne ſacro, Veſtis apud Romanos commendato. Nonnulli per flammam ignis tranſmittunt pueros à malo præſeruandos, quæ abominatio in ſcriptura quoq; fuit vetita. Fuiſſe hanc conſuetudinem apud Amorrhæos & AEgytios, ſcribit Moyſes Maymonis Theologus Hebræus, eamq; in AEgypto à ſe obſeruatam. Hinc ortum etiam puto, vt inexploratione veritatis per iuſiurandum, adhuc adhibeantur candelæ cereæ incenſæ, more neſcio an ſatis ꝓbato. Phyſica eſſe poterit quod ignis omnia probat: Verum hæc conſcientias haud quaquam attingit, niſi Papiſtarum ignem purgatorium, ex orco reuocare malumus, ad quem probandum citant etiam Pauli illud de probatione ignis.

Deut. 18. *li. de myſt: Chald. & Sabæorũ.*

His

His ritibus quadrant etiam conuentus Magorum & veneficarum, quotannis, ter locis peculiaribus celebrati, diabolo ſpecie hirci nigri ſeſe illis oſtentante & ſiſtente, ad exemplum veteris teſtamenti, in quo mares ſinguli deſtinatis ferijs, ter quotannis ad cultum diuinum congregebantur, hirco ad ſacrificium Deo gratum mactato, igneq; cremato, vt teſtatur ſacra ſcriptura. Scribit Bodinus Magos & veneficas Pictauij Anno 1564. morti addictas faſſas fuiſſe, ſe quotannis ter in maximum Magorum & veneficarum conuentum proficiſci, & ad crucem quandam compitalem congregari ſolitas: Ibi prefuiſſe hircum nigrum ingentem, aſtantes voce humana compellantem, in eius ambitum ſaltare omnes, tum vnumquemq; poſteriores illius partes cum ardente candela oſculari: hoc facto hircum abſumi igne, ex cuius cinere ſingulas capere, vt eo bouem inimici necarent, huius ouem, illius equum, hunc hominem languore, illum morte adficerent. Poſtremò diabolum voce terribili in hæc verba intonare: Vlciſsimini vos, aut mortem oppetetis. Ita ſingulos ope diaboli redire quà venerant. Ita operum Dei non tam imitator

Leuit. 16.

Libro 2. cap. 4.

callidus, quam deprauator peſsimus eſt diabolus, tantum, vt ſub boni vel ſanctitatis ſpecie imprudentibus imponat, gratiamq; exitium eorum ſitientem apud cóplices ſuos ineat.

Tertium vulgaris purgationis genus fiebat per aquam feruentem vel frigidam quod an huic propoſito ſtabiliendo conueniat, nunc vlterius re ita poſcente inquirendum videtur. Scribit Cuiacius & homines Chriſtianos eo vſos fuiſſe, ducto more, argumento neſcio inquit an bono, à potione, quam ſtupri inſimulatis mulieribus, dari iuſsit Moiſes. Illa potione ſumpta, ſi mulier rea erat ſtupri, pertranſibant illam aquæ maledictionis, & inflato ventre putreſcebat femur eius, eratq; in exemplum omni populo: ſi polluta cum alio non erat, potio ſumpta ei nihil nocebat. Et cum iudicium aquæ frigidæ in purgatione veneficarum admitti debere, vel iuris textus de hoc loqui velint libet penitius aliqua introſpicere. Cuiacius vt eſt breuis & ſuccinctus his verbis, argumento neſcio an bono, non videtur hanc purgationem defendere, ſed potius Saxones occidentales clam taxare propter imprudentiam. Sine dubio enim

Num. 5.

mens

mens ipsius ex antedictis arguitur, & optime intellexit ritus veteris testamenti, & specialia illa mandata iam expirasse, neq; amplius nos obligare. Addo, quod Sacramentum etiam, illa purgatio per aquã maledictionis facta, extiterit, quod sacramentum Zelotypiæ Theologis dicitur, & vnà cum reliquis est abolitum. Deinde & dissimilitudo est in ritibus huius purgationis à Moise expressis. Nulla in *Num. 5.* hoc casu fiunt sacra, Deus non inuocatur supra innocentem, non stabilitam rationibus habemus consuetudinem, nedum expressum aliquod diuinum vel humanũ mandatum: sed in temerarium & originis expers præcipitamur experimentum, quod carnifices Magi (quod cum multorum tamen pace dixerim) alicubi primũ introduxerunt, populoq; nouitatis & præstigiosi huius spectaculi auido, cum admiratione ostentarunt. Quis enim dubitet eorũ pleroſq; & Magicis instructos esse artibus, quibus acies gladiorum obtemperat: globus ex Bombarda explosus non penetrat: qui torturis ea possunt explorare, quæ Magicis molitionibus abstrusa in sæuissimis etiam cruciatibus reticentur, arte artem deludente. Deniq;

ſummoperè admirandum, quiſnam præſtigiator iniectionem in aquam primus oſtenderit, modum viamq; ligandi decuſſatim manus ad pedes inuenerit, cum Moiſes aquam maledictionis ſeueris ritibus bibendam iuſſerit, omiſſa inani ſuper aquas proiectionis ſcena. Damhouderius vt & Cuiacius meminit purgationis per aquam frigidam, adhibitis conſuetis funibus, quod de proiectione in aquam cum adhibeantur propter ſubmerſionis periculum, intelligi debere non nego, an verò legitimo iure id fiat quæritur.

Quod Damhouderius huius ſolennitatis teſtis citatur, quaſi patronus & approbator huius ſpectaculi, video ipſi iniuriam fieri, præcedentia enim citantur, ſequentia contrarium nimirum adſerentia tacito pede prætereuntur. Inqt enim: Verum cum & iſtiusmodi purgationes, nihil habeant humanitatis, ſed tyrannico animo, diabolicoq; inſtinctu inuentæ atq; excogitatæ, ad diuinæ potentiæ tentamenta rectè vergant. Ideo non temerè Canonico iure prohibitæ ſuut atq; abolitæ, ne amplius ijſdem vterentur. Ibi enim Lucius tertius mandat, vt indicia eiuſmodi peregrina & reprobrata nō admittantur,

C. x̃ tuarum x̃ de purgatio Can.

mittantur, vt potè quæ non ſatis ſint ad purgationem, ſed presbytero de homicidio accuſato purgationem Canonicam per iuramentum imponit. Idem etiam prohibitum eſt ex Stephani & Nicolai pontificum decretis.

Andreas quoq; Alciatus, vir fide dignissimus, in libro de iudiciarij proceſſus compendio, de purgatione vulgari, hunc ritum abominatur & repudiat triplicem ob cauſſam, quod ſcilicet inuentus ſit diabolico inſtinctu & inuidia fabricante, quod Deus in eo tentetur & innocens ſæpè condemnetur. *Ad finem de purgat:*

Didacus Couarruuias meminit tantum purgationis per ferrum candens aut ignitum globum, eamq; in more habuiſſe vetuſtas gentes ſcribit, ſed probari eam ab illo ex contextu huius non arguitur. Acquieſcit enim primò in reſponſo Honorij tertij ad Eccleſias in Liuonia quæ huiuſmodi tentamine à templarijs iurisdictionem in eas obtinentibus grauabantur. Deinde oſtendit ritum illum fuiſſe vetuſtiſsimum ex Sophocle Calimacho & Plutarcho. Et videtur ille mos ab Ethnicis, vt ſacra habet hiſtoria defluxiſſe ad Chriſtianos, quibus cum ignorarent ve- *Libro 4. cap. 23. Variar: reſolut.* *C. dilecti x de purg. vulg.*

rum Deum, Diabolus magis insidiatus est, quos pro nutu suo quocunq; volebat seducendo flectebat. Adfert autem Didacus ex scholasticis duplicem interpretationem, quarum posteriorem scribit conuenire Sophocli, nec alienam esse à respõso pontificio. Fiebat illa purgatio alio modo, quandoquidem iuramentum legitimum præcedebat, de cuius constantia & veritate, probationem cum ferro candente instituebant. Adhibito enim illo experimento, censebant illum dolorem nullum percepturum, qui veritatem dixisset, eratq; apud illos certæ fidei, & innocentiæ signum maximum, ab eo periculo illæsum euadere. Videtur hæc ratio cum iuramentum præcesserit, probabilitatis speciem præ se ferre. Verùm & an hæc legitima sit purgatio doctioribus Iurisperitis & Theologis iudicandum relinquo.

Hæc erant tria vulgaris purgationis genera, quæ vt initium habuere superstitiosum, sic & à rectè iudicantibus fuerunt repudiata & explosa. Quomodo enim diabolus humano generi ad superstitionem procliui, ea instillarit & experimẽto attamen prophano & fallaci insinuauerit

ex

ex antedictis luce meridiana clarius patet. Hoc vnicum ille præstigiator studuit & adhuc studet, vt homines superstitiosis ritibus addictos & implicatos, à Deo abalienaret, eiusq; Maiestatis & potentiæ vmbram quandam imprudentibus suggereret, sibiq; hos consuetudine deuinciret. Nec puto non standum esse his, quæ sacri Canones de hisce purgationibus prodiderunt, nimirum quod in his Dei prophanatio & tentatio sit, à quibus homo Christianus tanquam cane & angue peioribus prorsus debet abstinere.

Etsi enim nonnulli Canones impietatis maculam circumferant & in superstitionis notam incurrant, tamen nihil dubitamus eis fidem adhihere, quæ cum sana religionis Christianæ doctrina consentiunt & vera falsis præferunt. Nec adeò rudes pleroſq; pontifices fuisse, aut ita res sacras eruendi curam, in ijs deferbuisse credimus, vt nihil prorsus intelligerent, vel nequicquam in diuinis scrutari conarentur, ignauo torpescentes ocio, cui maior tamen pars indulsit. Sanè leges ciuiles non damnant aut pœna afficiunt eos, qui maleficiati à maleficij authoribus, aut alijs eadē arte instructis curam

L. cõdemnare ff. de reg. Iud.

L. nemo qui ff. de reg. Iu.

L. nihil tã natur ff. de reg. Iu.

C. admoneant 26. q. vult. quærunt: Veruntamen ſacri Canones, quibus fides in hoc non eſt deroganda aperte prohibent ne homo incantatus aut maleficio infectus, contrarijs maleficijs liberetur. Idem enim ſacræ ſcripturæ normam retinet, quæ non ſolum è medio tolli iubet Ariolos, aruſpices, diuinatores, Magos & his ſimiles, ſed ipſos etiam damnat conſulentes.

Pſal. 45. Faciunt nobiſcum in hac re D. Baſilius, qui extremè deteſtatur eos qui Sathanam vel magos adeunt, & iſtis præſtigijs ad valetudinem abutuntur. *Hom. 8.* Chryſoſtomus in Epiſtola ad Coloſſ. idem affirmat: Citius inquit mors homini Chriſtiano ſubeunda, quam vita ligaturis redimenda. Hoc enim modo ſi corpus ſanatum fuerit ſemper animæ vulnus infligitur.

Occurrit hoc loco etiam Canon de nodandæ ligulæ artificibus, qua noui cõiuges à coniugali officio impediuntur, à noſtro propoſito non admodum alienus: *C. Si per ſortiarias 33. q. 1.* Inquit enim Canon ſi p ſortiarias & maleficas artes, occulto ſed nunquã iniuſto Dei iudicio permittente & Diabolo præparante concubitus non ſequitur, ad Deum per humilem confeſsionem eſt recurrendum. Hic vetat Canon diabolicis modis

dis nodum debere ſolui, cuius nectendi modos ferè habent infinitos. Vetuſtiſsimi huius moris mentio fit apud Herodotum, vbi narrat Amaſin regem AEgyti vinctum & impeditũ ne rem haberet cum Laodice vxore ſua, donec ſolennibus precibus & ſacris Veneri promiſsis ſolutus eſſet. Artificium hoc in hodiernum vſq; diem vſurpatur, neq; ſolum hoc adultiores in vſu habent per ligulas nodatas, feras concluſas, & pronunciata quædam verba, dum matrimonij ſacra antè altare obeuntur, ſed etiam puerietiamſi pactum cum Diabolo nullum intercedat, & ſortilegiorum ſint imperitiſsimi, ipſis nihilominus neſcientibus adeſt præſentiſsimo. Non quidem hoc ligulis aut alijs quibus vtuntur medijs eſt adſcribendum, ſed diabolo ita Deo concedente, coniugij oſori acerrimo, vt ad gloriam Dei inſtituta generis humani ppagatio impediatur, aut alioqui inter coniugatos diſsidia ſerantur, vel adulteria committantur. Alijs membris non item inſidias ſtruit. *Libro 2.*

Concludimus itaq; purgationes ante dictas omninò eſſe prohibitas, & propter ſuperſtitionem & nominis DEI abuſum, iure Canonico rectè eſſe ſublatas. Noua

illa & inusitata arrident plebi, atq; eorũ fraus, quæ non tam promptè illis innotescit, stultorum mentes captas & irretitas detinet, quo minus veritati adsentiantur. Conscientiam hoc spectaculum sauciam reddit, nec potest fieri sine pœna peccati mortalis, vt Iurisperitus Rosella in lib. de casibus conscientiæ annotauit.

Nunc ratio postulare videtur vt simili modo in Philarchi & VVieri rationes animaduertamus, & an huic ꝓposito demonstrando conueniant inuestigemus. Quod attinet ad Philarchum li. 1. de morbis mulierum, non nego ipsum (penes quem tamen fidem relinquo) prodidisse, quod viuant in Insula Ponto homines, qui imaginem equinam in vno oculo, in altero geminam pupillam apparentem habeant: & similiter, qui quamuis grauentur tegumentis confertis, nihilominus sub aquas mergantur. Cæterum & hic rursum præstigiosum quid occurrit, necesse enim est, vt isti homines aut tales nascantur, aut postea tales euadant. Si tales nascantur vix effugiemus, quin fateri cogamur, Diabolum in generationis opere suas ostentare & exercere vires, ꝙ soli Deo rectè adscribitur, sua mirabili

poten-

potentia in hoc opus incumbenti, Non enim ipſi tantum indulget Deus, vt in cõſuetis naturæ operibus, & præſertim in hominis generatione ꝑ nutu quicquam poſsit fingere vel imutare, cum nondum etiam homines, dum in vtero finguntur pactum illud cum Diabolo inierint, quod tunc primum fit, cum rationis & mentis compotes fieri incipiunt. Et quis putet eum ipſum in futura ſua mancipia, tantũ poteſtatis obtinere, quam Deus ſibi ſolus reſeruat. Fatemur ſæpè contingere, vt fœtibus ſigna aliqua imprimãtur, quorum profecto ſunt cauſſæ naturales, à ſubita & repentina perterrefactione, dum vtero geſtant mulieres, & quidem poſtremis menſibus pendentes, vt facies caprarum, ceruorũ, murium, cæraſorũ, & aliorum ſimilium ſtigmatum, vel nonnullarũ etiam rerum abominationes, vt felium & ſimilium, quorũ exempla quædãvidimus, alia ex alijs annotauimus. Etſi autem iſta pterrefactio & pauor, animi nõ corporis ſit affectio, neq; à matris imaginatione in fœtus animũ imprimi poſsit: poteſt tamẽ temperamenti talis quædã fieri alteratio, vt certæ rei, ex qua conſternatio orta fuit vel abominatio oriatur, vel impreſsio eo

in

in loco fiat quẽ res ista in primis attigit. Occulta hæc quidem esse videntur, & humanis ingenijs imperscrutabilia, attamen si ad prædictas caussas animum applicamus, prorsus ἀλογα non sunt. Sic enim ex simili caussa infantibus morbi quasi hæreditario iure accidunt: ex pica grauidarum sæpè quoq; contingit, vt à vino, caseo, & similibus abhorreant, quorum caussæ ex temperamenti similitudine erunt petendæ, vti temperamenti mutatio in nonnullis efficit, vt postea eiusmodi cibis assuescant. Hæc in natura positas habent caussas, equinæ imaginis aut geminæ pupillæ in Insula Ponto obseruatæ, omninò nullæ si à natiuitate ortum traxerunt.

Si verò postea tales euadunt, in quæstionem venit, vtrum possit ille spiritus vnicam particulam ingeminare, aut nouam conformationem priori adiungere, quod ipsi æquè impossibile esse puto, atq; prius. Si quid eiusmodi fit apparet perfascinationem id esse tale, quod reuera nõ est, quod ipsi familiare multis demonstrare possumus argumentis. Sic Simon Magus Neronem iusserat, vt curaret eum decollari, se verò tertio die resurrecturum.

Fit

Fit decollatio, attamen per fascinationem oculorũ in ariete, & sic tandem tertio die reuertitur. Quo facto ardentius Nero Magiam coluit, & in honorẽ Simonis statuam erigi mandauit, cum hac inscriptione. Simoni Deo sancto, vt refert Cælius Rhodig. Et Sprangerus hominẽ Spiræ narrat cum se pudendis orbabatum este crederet, Medicos & Chirurgos ad se inspiciendum vocasse, quibus nihil tale visum, aut vllius vulneris vestigia obseruata sunt. *Lection antiqua lib. 13. cap. 59. In maleo malefica-rum.*

Interim nullo modo negandum esse putauimus Diabolum post manuũ stipulationem, oscula & amplexus corporibus veneficarum stigma quoddam, certissimũ pacti signum inurere & imprimere, quo tanquam sacramento, eas ipsi sibi obstringit & arctius deuincit Fatentur vno consensu hoc omnes, an autem omnibus in vna parte corporis hoc signum figat, non adeò clarè liquet, etsi in diuersis hoc ipsum moliri, vt facilius decipiat, veritati magis consentaneum videtur. Danæus scribit, ipsum ijs tantum notam inurere, quos metuit pactum vel cultum suum deserturos alijs quos cõstantes fore sperat, non item. Iu viris notam vt plurimum apparere *In dialog. de sortiar.*

apparere in dextro humero, inter labia, palpebris, nonnullis in ſede, vt non reuelentur, in fœminis ad femur, ſub axillis, aut in genitalibus. Ex hiſce ſignis ſi alia præterea adſint indicia, nonnulli ad condemnationem procedunt. Cæterum eiusmodi ſtigmata, quæ cuti imprimuntur, quocunq; id tandem modo vel tempore fiat, naturalem formam non abolent, neq; nouam particularum immutationem in eſſentia efficiunt. Apparere quidem eiuſmodi imagines, in illis, vti aſpectantibus videtur non negauerim, ſed an in aſpicientis vel aſpecti oculo eædem hæreant, ambiguum adhuc videtur. Rationi magis conſonum videtur, apparere aliqua poſſe in aſpicientis phantaſia, quæ ab obiecto præſenti non ſunt, vt Ariſtoteles prodidit. Idem etiam alibi ex in ſomnijs probat, in quibus ſæpe apparent ea quæ nihil ſunt. Eadem ratione poſſunt & Dæmones ſpiritus interiorum & exteriorum ſenſuum ita cõmouere, atq; ita organis formas aliquas inducere, perindè ac extrinſecus occurrerent, non ſolum dormientibus nobis ſed & vigilantibus, vt ſic putemus, aliqua eſſe vel fieri, quæ non ſunt nec fiunt. Sic enim immundorum

lib. 2. de anima.

lib. de ſom. & vigil.

dorum ſpirituum ſubtilitas, & infatigabilis fraus, ſpectatorum oculos perſtringere & varijs modis illudere poteſt. Quod autem in phantaſiam ſe ingerere poſsit, ſupra dictum memini. Vulgus putat ea ſigna in oculis tantum eſſe & ex cõtuitu eas cognoſci & explorari poſſe contendit, propterea quod pleræq; vetulæ aliorum obtutum effugiant, oculiſq; ſemiclauſis conniueant, ne per ſignum quod oculis impreſſum falſò exiſtimant, prodantur. Sed & hæc falſa conuincuntur, quod iuniores plerunq; ingenui ſint vultus, & cuiusuis aſpectum ſtrenuè ferant.

Veritati magis conſonũ videtur, quod oculos in aliorum præſentiam attollere vix audeant, id fieri propter conſcientiã intus ſtimulantem, & de ſcelere conſcio eos admonentẽ, Vnde vultus etiam phyſicis rectè dicitur, mentis interius latentis index. Prodit etiam nonnunquam facies minus ingenua cum oculorũ demiſſione fures ſibi malè conſcios, & rariſsimè fallit. Fieri deniq; poteſt, vt falſo perſuaſæ à Diabolo, de ſigno quodã in oculis ſibi metuant, cõpreſsioneq; eorundẽ reuela-

tionis

tionis aut proditionis periculum auertere ſtudeant. Nam & inuenti ſunt, forſan eiuſmodi farinæ homines, qui magnatibus in locis non adeò diſsitis, huiuſmodi explorationẽ faſtidiosè pollicentes, paulò poſt turpiter ſe dederunt, experimenti falſitate deprehenſa & patefacta. Profectò qui tales explorationes ſibi vnquam ſumpſerunt, vel peiores vel certè pares ipſis fuerint veneficis, quandoquidem de impoſturis illis & varijs diaboli deluſionibus ipſis conſtitit. Vtut ſit tales imagines neq; ab ortu exiſtere, neq; in iam formato corpore facta, ſenſibili immutatione poſtea exoriri, certo certius eſt, ſed omnia potius diabolicis præſtigijs cedunt & obtemperant. Quibus an ſit ſtandum vt certis quibuſdam indicijs, cuiuis iudicio dirimendum relinquimus. Porrò ſi & hæc conſuetudo purgandi per aquam frigidam, in ea Inſula obſeruata fuit, nihil hoc noſtris rationibus derogat, quibus manifeſtè oſtenſum eſt, morem illum prophanum & ſuperſtitioſum extitiſſe, inter Chriſtianos minimè ferendum. Ad manifeſtam enim impietatem mutũ eſſe minimè decet.

Sunt

Sunt & in alijs regionibus alia eiusmodi diaboli mancipia noſcendi documenta, vt in extrema Liuoniæ ora circũductio Lycaonum ſiue λυκανθρώπων, germanis Beerwölffe/ tempore duodecim, (vt vocant) noctium, id eſt dierum proximè natalem Domini ſequentium duodecim. Illi ad aliquot millia, eo tempore in vnum agmen congregati, per ſyluas, flumina, aliaq; loca inculta hinc indè ducuntur, & improperè puerum claudum qui præcedit, vt dux, ſequuntur, à procero viro agmen ſequente & cogente ferreo flagello miſerè cædũtur, ita vt longo poſt tempore, veſtigia & ex vibicibus relicta, in cute appareant. Exactis diebus duodecim, qui ſe luporum ſpecie circumdatos falſò credebant, redeunt ad ſe, & priori hominis formæ reſtituũtur agmenq; conuocatum diſpergitur. Hæc ita in Liuonia fieri extra omnem eſt controuerſiam. Cæterum an reuera homines in lupes vertantur videtur difficultate non carere. Bodinus hoc ſtatuit exemplo Nabuchodonoſoris in bouem, vxoris Lothi in ſtatuã ſalis, virgarũ quas Magi ad imitationem Moiſis adhibebant, in ſerpentes, ſociorũ Vlyſsis in porcos mutatorum. De Mago-

rum AEgyptiorũ,& veneficæ Circes apud Homerum in Odyſſea artificio nihil dubitauerim, quin ita acciderit, ſed tamen præſtigiosè & faſcini dementatione. Videri enim vult, diabolus ſe hoc poſſe, ꝙ Deo ſoli competit, & tale quid conſpiciendum præbet, quod naturale non eſt,ſed phantaſticum,vt Saulis Phythoniſſa fecit in excitando Samuele, & Simon Magus apoſtolorũ miracula falsò imitans. Corporea enim materia Dæmonis potentiæ, non ſubijcitur quantum ad tranſmutationem ipſius ad formam,licet Thomæ Aquinati aliter viſum fuerit. Auguſtinus tamen teſtatur diuerſum his verbis: Non eſt putandum, inquit, iſtis tranſgreſſoribus angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum materiam ſed ſoli Deo. Neq; concedit Deus,vt in hac communi rerum propagatione, aliquid ex materia & forma producatur exceptis ijs,quæ ex putredine generantur, vt ranæ, vermes & ſimilia, quod non ex itidem compoſito proueniat, ita vt effectus non abſimilis ſit agenti. Interim non inficiabimur potuiſſe Dæmones, celeritate incredibili, virgis remotis, ſerpentes eorum loco ſubijcere aliunde allatos, aſtantium oculos perſtringendo

Lib.3. de trinit.

ſtringendo & decipiendo. Quæ de vxoris Lothi in ſaxum immobile mutatione afferuntur, ſacræ ſcripturæ & potentiæ Dei maximæ nihil detrahere poſſe puto: de transfiguratione Nabuchodonoſoris in bouem ambigendum cenſeo, neq; ſatis apte ad luporum μεταμορφοσιν accommodari poſſe exiſtimo. Primo ſi ea facta eſt ſine dubio Dei potentiæ accepta ferenda eſt, quæ Diabolo eſt inimitabilis, neq; λυκανθρωπίας demẽtationi patrocinatur. Deniq; ſcriptura in bouem tranſmutatũ eum non affirmat, ſed ſicut bouem, communem cum brutis alimoniam habuiſſe annotat, ratione & mente alienatis, quæ integra Bodinus in transformatis manere ſcribit. Poſt ſeptennium enim rationis rurſus compos factus eſt, neq; communis alimonia communem naturam vel ſubſtantiam eſſe arguit. Verùm non pertinent hæc ad noſtrum inſtitutum, placuit tamen ea attingere, vt palam eſſe quouſq; diaboli potentia ſe extendat, & quomodo à ſe inſtructos, quamuis ex conuentione aliter promiſerit in extremam pernitiem præcipitet. Meminit quoq; Lycaonum Herodotus lib. 4. his verbis: Ijdem (de Neuris loquitur) videntur homines eſſe

malefici; dicuntur enim à Scythis, & ab ijs, qui in Scythia incolunt Græcis, ſemel quotānis ſinguli ad aliquot dies effici lupi, & rurſus in priſtinum habitum redire, quod tamen dicentes mihi non perſuadent. Ipſi tamen aiunt ita eſſe & deierant. Quæ teſtantur, & authori huic omnia hæc videri fabuloſa & præſtigioſis ludibrijs expoſita. Per Magos & carnifices interdum harum impoſturarum ſtudioſos ſæpè veneficæ conuocantur & in vnum agmen coguntur factaq; manifeſtatione ꝓduntur. Sed & hæ inueſtigationis viæ impiæ & periculoſæ, quandoquidem Diabolus nonnunquam, ſub innocentium ſpecie mentita ſe conſpiciendum exhibeat. Quamobrem vt cum Lycaonibus ſic dictis ludit falſa & imaginaria ſpecie diabolus, ſic & ementitæ & euanidæ ſunt illæ imagines equo geminæq; pupillæ & veneficarum vel magorum oculis aſsimilatæ vnà cum ꝓiectione ſuper aquas, in inſula Ponto viſitata. Verùm & huius rei fides ſit penes authorem.

lib. 1. Ger. Exegeſ. cap. 17.

Proiectionem hanc ſuper aquas ad alias res æquè ſuperſtitioſas adhibitam fuiſſe apud Irenicum legimus. Apud Celtas mos fuit pueros poſtquā nati eſſent galea tectos

tectos Rheno imergere, & si scutum fluitet, vt genuinam sobolem educare: si verò à capite decideret, vt adulterinam, nec vllis dignam honoribus exponere. Hinc Gregorius Naziãzenꝰ de Celtis loquitur: κατὰ γυναικων.

Κελτὶ μὲν κρίνουσι γόνον ῥήνοιο ῥεέθροις,
ἢ χρυσὸν καθαρὸν ἄνθρακες εἰσὶ κρίσις.

Cernitur vt purum prunis ardentibus aurum,
Gurgite sic Rheni pignora Celta probat.

Et alibi.

ὡς νοθον εὐγενέως ῥήνῳ κριθέντα ῥεέθροις.

Nobilis vt Rheni exploratus spurius amni.

Et Claudianus:

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

De hac purgatione Pius Bononiensis sic scribit. *In annotationib. posterio. cap. 23.*

Audaces rapido Celtæ noua pignora Rheno
Explorant, non hæc genitrix prius vbere largo
Alma fouet, vitreas fluuij quin venit adundas.
Lympha nouũ caput alta legit quod remigis instar
Vmbo tegit, fluuijsq; effulcit corpus alumni.
Et fœtum sic vnda probat, lectumq; iugalem
Damnat adulterij, fœde sic decolor igne,
Post dubios genitrix casus memor Ilithyæ
Accipiens sobolem gelidis in fluctibus ortam
Anxia despiciens cui nobilis autumat vnda.

Nec videtur profectò aliud hoc fuisse purgationis genus quā de quo nunc agimus. Retulit hoc quidem Nazianzenus: Verùm hunc approbasse idipsum nullo modo credimus, cum notissimum sit eum omnes superstitionis fuisse ossorem acerrimum, quandoquidem omnia appensa & amuleta extremè damnauit vt pote quibus diabolus cooperetur, nedum vt istius modi præstigijs patrocinatus fuerit. Inquit enim: οὐδέν δεῖ σοὶ περιαμμάτων καὶ ἐπαοιμάτων οἷς ὁ πονηρὸς συνεισέρχεται. Nulla sanè fuit istius probationis puerorum origo alia, qnam superstitiosa credulitas, & Dei tentatio persuasione malorum spirituum introducta & confirmata. Quis quæso audiuit vnquā spurios à legitimis dignoscendi & explorandi modum, cui nulla ratio, nulla lex vel æquitas suffragatur, sed tantummodo cæca & dementiæ plena consuetudo pro lege barbaro isti fuit populo. Neq; mihi dubium est illam purgationem si non prior fuit (quandoquidem de origine nihil constat) ex hac originem traxisse, & ad explorationem sagarum superstitiosam adhibitam fuisse. Et puto hinc ortum esse „puerbium quod refert Cælius Rhodig. Hæret aqua. Vl-

li. 8. ca. 2.

pianus

pianus id etiam de ijs intelligi putat, qui infamia notantur, vnde Iulius Pollux πλύνειν id est lauare pro λοιδορεῖν id est conuitiari & alterius nomen obtrectare, ponit. Nec alienum ab hac consuetudine est illud, papistis in more positum: Imaginem S. Petri pijciebant in aquam addentes hæc verba: Submergatur beati Petri imago si nobis apud Deum pluuiã in imminenti necessitate non impetrauerit. Id enim hodiernis ritibus non absimile est, dum veneficæ explorantur piectione super aquas vt quæ veneficæ non sint, submergantur, quæ veneficæ sint, aquis supernatent, contra naturæ ordinem: vti & imaginem ligneam si futura non esset pluuia, præter naturæ statum submergi hoc experimento volebant. Et quemadmodum in illo, sic & in hoc tentatio Dei est & superstitiosa quædam adinuentio. Illa exploratio sanè de ventura pluuia, nihil aliud est quam tentare Deum, dubitando de ipsius omnipotentia, & præfigendo terminum diuinæ operationi, quæ ex sola gratia prouenit. Inquisitio hæc per aquam frigidam, tentatio similis est, non mandata nobis diuinitus, aut vllis rationibus suffulta: sed cum impia sit

ſortitur ſuos effectus, ob hominum malitiam & impietatem, quæ effecerunt, vt multa ſæpè euenerint miracula à diabolo falſò edita, quæ ad homines ſuperſtitionibus excæcatos diuinarum reuelationum ſpeciem præ ſe tulerunt, vt ex oraculis patet, item ex Magis Pharaonis & Simone Mago. Quid enim opus eſt elabi ad falſiſsima, quæ cum Dei prophanatione & hominum pernitie ſunt coniuncta.

Simili prophanatione & Dei tentatione non carent experimenta his ſimilia, vulgò & fœmineo ſexui in more poſita, de futuri anni vita num ſcilicet eo ſuperſtes manſurus quis ſit præſagienti. Ad huius rei explorationem in profeſto noui anni panes azymos in cineribus optime coquunt, coctos demum in aquam proijciunt: panis in huius vel illius nomine factus, ſi fundum petit hominem eo anno moriturum diuinant. Bene enim coctus panis contra naturam fundum petit, vt de cruce lignea antea annotauimus. Si in ſuperficie hæreat, quod prorſus naturale eſt, in viuis manſurum. Alij hanc exploratione tentant in profeſto S. Matthiæ ſimili dementatione exæcati. De pane quo in menſa vtũtur, bolos dentibus auulſos,

pro

pro huius vel illius vitæ diuturnitatis exploratione in aquã ſimiliter proijciunt: Boli qui fundum petunt non modo ſuſpicionem, ſed indubitatum de futura morte præſagium pariunt, in ſuperficie hærentes ſecuritatem pollicentur. Si in medio bolus ſuſpenſus maneat, morbũ grauiſsimum portendit, attamen ſine vitæ periclitatione. Hæc ita vulgus in cõmuni habet vſu & quidem ſæpè infallibili euentu experimentis reſpondente. Autumat illud, quoniam negocij indignitatẽ & abominationem non agnoſcit, rem eſſe licitam, nec vlla expiatione dignam: interim tamen hi non minus patrant facinus, quam ij, qui veneficarum corpora vincta & in aquam proiecta, iudicium de nocente vel innocente ferunt, vti illi de ſalute vel morte præſagium inſtituunt. Certum eſt horum experimentorum infinitũ eſſe numerum, diaboli verſutia humano generi, nouitatis & rerum futurarum auido, obtruſum & callidè perſuaſum, non ꝙ tutò his vti liceat, ſed potius vt mentes à Deo alienatas, ad ſe ſuperſtitionum illecebris alliceret, & Idolatricis cultibus aſſuefaceret. Relatum quoq; eſt à fide dignis, ipſas veneficas aquæ beneficio de

futuris prædicere ſolitas, ita vt certo mihi perſuadeam, hæc omnia ſub lato Hydromãtiæ nomine complexa teneri. Nam cum quædam aliquando conſulta & rogata eſſet à puella, vt efficeret, ne ſponſus, cuius odio poſt celebrata ſponſalia ardere inceperat, reuerteretur: illa altero die antè ſolis ortum puellam redire iuſsit. Rediens puella ſumo manè, Saga in procinctu habuit magnum lebetem aqua plenum, in cuius ſuperficie, omnium qui in naui erant capita emerſerant. Illa inter alias ſponſi faciem monſtrari iubet, qua indicata, pugno caput premit, & ſtatim ſubmergitur. Omnibus demum è nauigio redeuntibus, ſolus hic ex ſummitate mali deturbatus emanſit. Quis hic nõ videt ſimile p̃ſagitionis exemplũ, ex hydromantiæ impietate & vanitate deſumptũ quarum ſpecie ferè infinitæ hominibus ſunt à Deo oblatæ, & imprudentibus perſuaſæ, quaſi fallere nullo modo poſsint. Verùm Sagæ eliſio & imerſio capitis in aqua cauſſa non fuit emanſionis ſponſi, cum fortè ſine his cæremonijs, hoc malum ei accidiſſet, ſed potius ſuperſtitionis pœna id meruit in incredula ſponſa. Et diabolus ſi de futuro lapſu quicquam olfecit,

ſæpe

ſæpe numerò italeues & infideles inſtigat, vt circa id tempus præſtigiarum cultores in perpetrandis rebus malis conſulant,& vltionem petant, quæ iſtorum poteſtati tamen minimè ſubiecta aut accepta ferenda eſt. Et callidus ſæpè poſt factum (ne fallere poſſe videatur) ſuos ad hæc tentanda impellit &incitat,vt præſagitione, quaſi diuina & admiranda ſimplices ineſcet, & ſuis tricis fucum faciendo implicet.

Vetuſtiſsimũ hunc probationis modum, videre quoq; licet ex ipſo Ariſtotele περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων,vbi mentionem facit fontis in Palice Siciliæ, quem teſtatur aquas ad ſex cubitorum altitudinem, eijcere, vt ferè omnem planiciem inundaturus videatur attamen eundem conſiſtere : porrò iureiurando hunc pro ſacro haberi ſolitum. Quæ enim cunq; libet tabellæ inſcribunt, inq; fontem abijciunt, ea ſi vero iureiurando confirmentur, natans in ſuperficie tabula : ſin ſecus veluti pondere depreſſa eripitur ex oculis, igneq; corripitur periurus. Quocirca fide iuſſorem capit ſacerdos, qui iuſta nominis vindicta ſacrum execrandumq; ſi peierarit aſportet. Hæc probatio ſeu exploratio

ploratio veritatis, proximè accedit ad eam cuius antea perignem in templo facti meminimus. An verò iusta veritatis illa fuerit exploratio valde ambigendum censeo. Vetustatem admiror & relliquias illas veteris testamenti ad Ethnicos vsq; manasse, attamen dissimilitudinis quadam ratione, lubens agnosco. Etsi enim nonnunquam hæc experimenta, non exiguo temporis interuallo siluerunt, attamen penitus obliterari, diaboli vafricies passa non est: quin potius vt renouarentur eadem & denuò instaurarentur mille modis autor fuit sui studiosis, idq; semper boni specie, vt imprudentioribus facilius imponeret. Imposuit quoq; diabolus hominibus, per miracula aquæ frigidæ & ferri candentis, in ædificandis & fundandis locis religiosis, quæ non Deo sed ipsi ob horrendas superstitiones erant consecrata. Artificium hæc exercuit, in extruendo templo, quod in honorem diuæ Virginis Mariæ adhuc visitur, in monte ante ciuitatem Heruordiensem, cuius initium fuit, sub Abbatissa Imne, & Episcopo Paderbornense Meinvverco, Papa Gregorio quinto, anno Christi IIII. die S. Geruasij & Protasij, qui dies in hodiernum vsq;

vſq; diem dedicationi templi ſacer eſt. Paſtori cuidam aliquoties apparuit ipſa Maria propter quam apparationem locum pro ſacro habere cœperunt, & à Maria miracula in eodē expectarunt. Paſtor abſq; dubio inſtincto diaboli viſioni fidem fecit, cum magno aliorum applauſu per aquam frigidam & ferrum candens, & non longè poſt populo Mariam in arbore quæ adhuc in ara templi eſt, ſpecie columbæ conſpiciendam exhibuit. Quo facto corrogatis vndiq; ſubſidijs in honorem diuæ Virginis templum in monte extructū eſt, virginibus dicatum & multis opibus locupletatum. Memoria dedicationis templi adhuc viſio apud accolas nominatur, ob viſam eo in loco columbam. Hæc aut fabuloſa omnino ſunt, aut ſi ita acciderunt, illuſiones fuerunt diabolicæ. Nuſquam enim legitur in ſacris vel Mariam θεοτόκον, vel ullum alium multis ſeculis antè mortuum in aliena ſpecie ſeſe conſpiciendum & agnoſcendum hominibus exhibuiſſe: ſtatuendum certè eſt columbæ ſpecie, Sathanam ipſum paſtori & alijs illuſiſſe, vt ſuperſtitiones diabolicas confirmaret, & animos hominum à vera in Deum fiducia abſtraheret. Vel ſi reuera

columba

columba fuit, facilè fieri potuit, vt hominum animi iam tum probationibus illis, per aquam & ferrum fascinati & in diabolicas superstitiones demersi pastori fidem habuerint, p simplici columba Mariam monstranti. Quid enim non credit vulgus, superstitionibus irretitum & dementatum? Certe in ista ætate nihil frequentius fuit eiusmodi apparationibus, in primis si falsis dictis miraculis præstigiosè stabilirentur, quarum exempla & hic locus penè ante vrbem Helmstetum si opus esset, mihi suppeditare posset. Verum miror prædictorum locorum incolas, in clara euangelij luce penè cæcutire, & probationibus illis diabolicis adhuc petulanter indulgere, forsan ob hæreditarium loci contagium, aut quorundam sciolorum consilium immaturum & pessimum.

Monuit me quoq; alterius experimẽti æque superstitiosi clarissimus & doctissimus vir Doctor Iohannes Mellinger, Ducum Lunæburgensium Medicus vigilantissimus & felicissimus, quod in interfectis obseruatur, sanguine in præsentia occisoris ex vulnere erumpente. Exempla ex sacris desumpta huic suffragium nullũ ferre

ferre poſſunt. Nam quod legitur ſanguinem Abelis clamaſſe in cœlum, de hoc miraculo non intelligitur, ſed de Caini pœna poſtmodum ipſi ſuſtinenda quam temporaneam fuiſſe non conſtat. Phyſicam afferre videtur Martius Galæot tus ab inſultu ſpirituũ pendentem ijſdem ab vno in alterum irruentibus. Occidentis irati ſpiritus in occiſi ſanguinẽ irruere & cum eo miſceri, & è contra exiſtimat: ideoq; fieri, vt præſente occiſore ſpiritus in occiſi ſanguine moueantur ac propriũ corpus repetendo profluuium eiuſdem excitent. Quamobrem hoc experimentum non vltra viginti quatuor horas differendum cenſet, quo temporis ſpacio ſpiritus in corpore adhuc ſupereſſe poſſe iudicat. Cæterum mutuum illum in iratis ſpirituum diſcurſum & ſubitam tranſmigrationem omnes mediocriter phyſicis initijs imbuti intelligunt, quod nulli ſpiritus quicunq; tandem ſint è corpore foras exiliant, nedum vt extra miſsi in aliud contrarium immigrent & eo vſq; lateant, donec is à quo exierunt ſe præſentẽ ſiſtat. Reliquum igitur eſt vt ſuperſtitioſum & diabolicum quid ſapiat, cuius ſuſpicionem mihi auget, quod in locis quibuſdam mem-

Gen. 4.

In lib. de doctrina promiſcua

membrum reſecent, arefaciant & fumo indurent, ꝙ in præſentia occiſoris ſanguinem adhuc effundereſanctè affirmant. Profecto ex membro arefacto minus quã ex lapide ſanguis effluet, ſi, vt perhibent, fit, quis adeò ſtupidus erit qui diabolicis faſcinationibus hoc ipſum acceptũ non feret? Verùm de hoc doctioribus alijs & ſuum eſto iudiciũ: quid nobis videatur, monitu præclari iſtius viri, reticere hoc loco noluimus.

Lib. 6. cap. 9. Quod attinet ad Ioannem VVierum hominem præclarè de philoſophia & Medicina meritum, nullæ profecto rationes in promptu ſunt, quæ virum illum in experimentum adeò ſuperſtitionis æmulũ pertrahere potuerint. Fateor miſerrimis veneficis illũ eſſe mitiorem, defenſionem earum commiſeratione & pio zelo ſuſcipere, artemq; totam veluti imaginariam deludere, & extenuare, in quo tamen illius veſtigia minimè ſequenda eſſe aſſeueramus rei euidentiæ & ſacræ ſcripturæ authoritate freti. Etſi enim fatẽtur ſe multa perpetraſſe, quæ nec fecêre nec facere potuêre: tamen culpa eos hoc non eximit, quando diabolus clam (Deo ita permittente) venena ex pacto alijs ſuggerit, quan-

quandocunq; nocere alicui propoſitum habent. Atq; ita operis coniunctis effectū producunt, cuius vterq; reus eſt, quemadmodum anima & corpus in vnum iuncta, ſimul peccare, & eiſdem pœnis ſubijci rectè dicuntur. Sæpè quidem Diabolus tempore inſultus futurorum morborum exactè obſeruans inſuſurrat ſuis mancipijs, ſe noxam intuliſſe eis quibus nocere decreuerant, cum morbus nihilominus naturalis extiterit, id eſt à naturalibus cauſsis productus. Interdum autem non ſic ludit, ſed reuera exhibentur toxica, perdūtur fruges, procreantur grandines fulmina & ſimilia, vt eo tanquan carnifice ad iuſtitiæ executionem vtatur. Præterea extremam earum Idolatriam & ἀπιστίαν à Deo dummodo non tantū Diaboli imaginem colunt, ſed ipſæmet ſe ſupplices diabolis permittunt in eorū clientelam ſe tradunt, mancipia ſe futuras & ſe totas ad eorum obſequium compoſituras promittunt. Verùm de hiſce pœnis veneficis iuſtè irrogandis, contra VVierum ſcripſerunt alij luculentius, vt Thomas Eraſtus, medicus noſtri temporis facilè princeps, Lambertus Danæus Theologus, Ioannes Bodinus Hiſtoricus, ex quibus

iſta poſſunt petere, qui ad rerum gubernacula ſedent. De pœnis ſi bono & ſano iudicio decernantur nihil dubito, de experimentis hiſce futili conſuetudine inueteratis, non modo dubitandum, ſed potius ea ex rebus publicis maturo conſilio releganda eſſe cenſeo.

VVierus certè rationem probationis per aquam propterea non admiſit, cum videret eam nullis rationum momentis ſtabilitam, quæ rei adeò leuiſsimæ & ludicræ in patrocinium venire poſſent. Nam quæ dicuntur & non ꝓbantur in naturalibus, eis fides omnino derogatur. Cum autẽ nulla præſtò ſit ratio naturalis, quæ leuitatem & natationis aptitudinem inferre valeat, vt in ſequentibus vberius demonſtrabitur, mirari non deſino ſtultæ ineptæ nulliq́; innixæ ꝓbabilitatis nedũ rationis fundamento, conſuetudini tantum eſſe tribuendum, & tanquam oraculo ſtandum. Fatendum eſt contingere eiusmodi ſæpius Deo ita diſpenſante & conniuente, vt ſuperſtitio, incredulitas, Dei cultus abuſus apud infirmos ſtabiliatur: Negandum tamen interim non eſt, in his experimentis eſſe Dei tentationem & ordinis diuini peruerſionem & ſæpè diuino

per-

permiſſu innocentes in periculum deduci, nonnunquam etiam nocentes, quos Deus exitio nondum deſtinauit, per ſubmerſionem ſeruari. Et mirando fortè Dei conſilio ita fit, vt ſpiritus ille ab aquarũ ſubmerſione veneficas imunes conſeruet, ab igne ad quem rectè condemnantur liberare poſsit minimè. Humano ingenio hæc imperſcrutabilia ſunt? cui occulta ſua iudicia Deus non reuelauit. Quid igitur cogit nos à ſignis prorſus illicitis & diabolicis pendere & ab illis diuinas reuelationes expectare? cum in medio ſint inquiſitiones, legibus & iudiciorum probatis conſuetudinibus confirmatæ: Quarum aliquot recenſentur in malleo maleficarum, in quo nullam quoq; reperio de hac purgatione literam. Ferri candentis quidem mentio fit, ſed tentaminis & ſuperſtitioſi & reprobati. Bodinus quoq; in totum hoc tentamen improbat & ſcribit hac via iudicia, quæ ſancta oportet ſeruari Diabolum in ſcholam Magiæ mutare. In Germania hoc conſuetum eſſe, cum ignominia nobis obijcit: quomodo autem ſit in hoc negocio procedendum quibus præſumptionibus & probationibus ſit ſtandũ, ſatis fusè ab illo tractatur,

li. 4. ca. 4. dæmonomaniæ.

& à quinq; Inquisitoribus antea factũ est. Neq; laborem hunc suscipiendum puto, cui magistratus, vt benè suo fungatur munere incumbere debent: hoc tempore satis esse puto, vt moneantur, ne in posterum dictis præstigijs aurem præbeant, neq; prophanis vel illicitis sese implicari & dementari patiantur. Neq; admittunt illud tentamen Constitutiones criminales Cæsareæ recentiores, non sine graui caussa, cum sanioris mentis hominibus habitum sit semper suspectissimum.

Simili suspicione non carent alia experimenta, eadem vanitate polluta. Sic scribunt, quod terræ pugillus, ex tribus spatulis dum sepulturæ fouea apparatur, collectus, & sacrificio Missæ litatus, si limini sacrarum ædium supponatur, non patiatur veneficas templo egredi. Idem scribunt de ligno quercino, in quo suspẽsus aliquis fuit, vel seipsum strangulauit, si infra limen templi occultetur. Narrant quoq; de caseo, confecto informa caseoli noua, stannea noua, ex recenti lacte à singulis vaccis collecto pressoq; in nomine alicuius veneficæ: factus hoc modo caseus, si perforetur armilla aliquoties totidẽ & stigmata in fronte illius veneficæ apparere

parere contendunt. Ferunt etiam noſtrates quod baculum ſcopis extractũ transgredi non poſsint, cum aliqui baculorũ ſeu virgarum ope ad diſtantia ferri credantur loca. Virgarum enim eximius fuit vſus in ſacris, quibus vſi etiam ſunt in ſuis ſacrificijs, Perſici Magi, & ij, qui in Cappadocia extiterunt. Iactatur etiam adhuc virga quædam aurea, quam nonnulli virgam fortunæ nominant, qua in exqnirendis venis metallicis, aut occultis terræ theſauris multi perperam vtuntur. Reperiuntur tamen aliqui, qui hanc phyſicis legibus ſubiectã autument ſed longè falluntur. Quod autem veneficæ tactu baculorum euolant, ad loca diſsita, diabolum ad ritum veteris teſtamenti æmulatum fuiſſe credo; in quo Moiſis baculi, quo mare tactum dehiſcebat & inſtar muri ſtabat, mentio fit. Proditum eſt Iacobum peculium ſuum impoſitis varicoloribus virgis canalibus illis, ad quas aquationis gratia adigebãtur oues, auxiſſe & fœcundum redidiſſe. Sic legimus de verſione baculorũ Moiſis in ſerpentes & ſimilia, quæ rationibus non parent, ſed Dei miracula ſunt Diabolo reuera inimitabilia etſi præſtigiarũ ſpecie multa paſsim repræſentet. *Geneſ. 30.*

Hæc interſerui vt imitatio illius ad res diuinas notior fiat eiuſq;in imitando potentia ob oculos ponatur. Alij aliter explorationem inſtituunt, adhibitis certis Cæremonijs & pronunciatis quibuſdam verbis, quibus peractis in vnum agmen ſunt congregatæ. Fieri hæc non inficias imus &ſuperſtitioſas has artes euentu ſæpe non fruſtrari concedimus: Verum in controuerſiam vocatur vtrum eiuſmodi medijs,vti etiam poſsimus abſq;violatione conſcientiæ, & prophanatione nominis diuini. Sed dolendum & deteſtandum eſt quod vulgus ſemel aliqua ſuperſtitione imbutum ad ſaniorem mentem redire vix poſsit. D. Hieronym. in vita S. Hilarionis ſcribit Sathanam,in puella Dæmoniaca quam obſidebat, locutum eſſe, dicendo, ſe non exiturum, niſi lamina ærea quam amator puellæ ianuæ ſubdiderat auferretur: Verum noluit Hilario in hoc conſentire, ſuperſtitionis illecebras percipiens ſed precibus apud Deum inſiſtens à Dæmone puellam liberauit. Et vt Auguſtinus teſtatur, tales obſeruationes tantò magis fugiendæ & ſuſpectæ nobis eſſe debent quantò ſæpius videntur effectũ ſortiri. Nam ſicut vera & Chriſtiana fides mira-

mirabilia operatur in benè credentibus: ſic mala & falſa credulitas Deo permitte euentus malos interdum operatur vel potius demeretur. Quotidie etiam experimur in malè credulis, quos Deus ita punit propter malam fidem, & præſertim quos cognoſcit Dominus nimium adhærere aliquibus vanis obſeruationibus cõtingere Dei permiſſu aliquos euẽtus conſuetudine vana receptos, & ita eos magis magiſq; firmari in concepta opinione, vt maior fiat cæcitas eorum, & in laqueum cadant, quem ſibi fecerunt. Talia enim quandoq; permittit Deus contingere, vt patuit in Magis Pharaonis & alibi pluries vel ad probationem fidelium, vel iniquorum hominũ dignam flagellationem, vel quia abutentes ſeu conſulentes propter malam fidem dati ſunt in reprobum ſenſum, & demerentur ſic illudi.

Quod ſcripſit à VViero nullum proponi ſpeciale exemplum, quo ſententiæ propoſitæ contrarium adſeratur lubens fateor. Nos enim non poſſumus in arcana illa penetrare, quæ mentis noſtræ aciem effugiunt, & in ſolius Dei nutu & arbitrio, hæc ita diſpenſantis poſita ſunt. Nihil tamen dubitamus experimentum

hoc friuolum esse & fallax. Et licet ponamus illud non fallere reijciendum tamen erit propter manifestam superstitionem veræ relligioni oppositam, quæ habet rationem sapientiæ humanæ non in vertate sed falsitate sitam. Animus enim hic intentus esse non debet ad τὸ ὅτι, vt euentus causſas & naturas altè scrutemur id est, vt intelligamus, quantum & quatenus homini Christiano eo vti liceat, si vel Theologicè vel iuridicè vel philosophicè hoc argumentū expendatur & considereturt: Quocunq; autem me conuerto de incōstantia huius & lubricitate statim cogitare me rei indignitas cogit. Atq; hæc de sententia V Vieri verisima hoc loco sufficiant.

Nunc vlterius in Scribonij causas, quas putat physicas animaduertemus, quarū prima nihil physicum sapit, sed experientiæ & consuetudini humana ratione inuectæ potius nititur. Quod scribit primò eius esse aliquam rationem, quod Logicæ intelligentiæ est subiectum, facilè agnoscimus: Illud probandū venit hanc purgationem per aquam in nostrum cadere intellectum, aut probari nostro intellectui per sufficientes quasdam causſas ab

homi.

hominibus inuentas: Inuentum ab hominibus hoc experimentum contendit, eius vero rationes nullas esse diuulgatas. Ego certè credo nullas eos habuisse: nam sine dubio posteritati eas reliquissent vt tentamini à ratione alienissimo, suffragia vel fidei aliquam speciem conciliarent. Deinde quæ phanatica sunt, impia, & diabolico instinctu reperta, non ꝓpriè subijciuntur nostro intellectui, aut huius iudicium subeunt: sed extrinsecus persuasione vana inuehuntur, & nullis caussis rationi probabilibus munita imprudentioribus insinuantur. Notum est Medicis multa fieri in vniuersa natura admirabilia per proprietates quasdam, quæ Græcis sunt ἀρρήτοι ἰδιότητες vel ἰδοσυγκρασίαι, in natura quidem causssam obtinentes, attamen ꝓpter τῆς μίξεως λογον nobis ignotum, & naturæ inuolucris implicatum, non percipiuntur à nobis, immò potius supremo naturæ scrutatori relinquũtur. Præterea multa quoq; eueniunt, quæ omnino aliunde, quam de rerum natura eruuntur neq; huius limitibus coërcentur. Atq; ex eorum numero sunt miracula, vel à Deo edita, diuinæ omnipotentiæ documenta certissima, vel ea quæ ad horum

ementitam imitationem à Diabolo ſunt profecta. Verum mandatum diuinũ huius experimenti periculoſi habemus nullum: cauſſa phyſica in natura occurrit nulla: reſtat igitur vt quicquid huius fit, id tantum à præſtigijs diabolicis proficiſci certò putandum eſt. Ex ſupra autem annotatis liquido conſtat, hunc morem purgandi veneficas, originem traxiſſe ab ijs, quæ nunc citra mandatũ imitari nullo modo licet. Nec conſuetudini locus eſſe poterit in hoc caſu, quod ſecundum iuriſperitos ea ipſa rata non ſit, niſi conſenſus ille in populo tacitus rationabilis etiam ſit, id eſt iure approbatus, firmis & conſtantibus rationibus munitus, ne in iuſta & praua morum vſu recipiantur ad corruptelam. Si enim pugnet è Diametro cum natura de quo in hoc caſu nihil dubitamus, non alleganda aut ſequenda eſt, ſed veluti tyrannis ex bonorum conſortio exterminanda. Ideoq; iudices non ſimpliciter debent conſuetudini aurem præbere, ſed ad hanc rationem naturæ conuenientium trutinam, omnia diligenter perpendere. Nam lex inquit.: Quod non ratione introductum eſt, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtentum

38. ff. de Legib.

in

in alijs ſimilibus non obtinet. Et decre- *I. tit. 4.*
talium lib. ſic ſcribitur: Conſuetudines *cap. 1.*
quæ Eccleſijs grauamen inducere dino-
ſcuntur noſtra nos decet conſideratione
remittere. Sed conſuetudo hæc quatenus
Deum tentat Eccleſiæ oneroſa & impia
eſt, nullas probabilitatis rationes præ ſe
ferens. Refricat quoq; hæc conſuetudo
mihi eius memoriã, quod adhuc in hodi-
ernum diem vſurpatur in exploratione
alicuius furti. Sumunt cribrum & forci-
pem quæ ad tonſuram ouium adhiberi
ſolet, vtrumq; quidem hæreditario iure
poſſeſſum. Forceps cribro inſeritur, & à
duob⁹ (eo, qui rem amiſit & q̃ coniuratio-
nem facit) forcipis extrem rotunditas,
ſummitate digitorum vtrinq; apprehen-
ſa, ſuſtentatur in medio aëre. Demũ pro-
nunciatis quibuſdam verbis de ſancto Pe-
tro & Paulo ſuſpecti nomen exprimitur:
qui ſi rem abſtulit mouetur & ſalit cribrũ
ſi non manet ignotum. Hæc diuinatio vo-
catur κοσκινομαντεία q: κοσκίνῳ μαντεύεσθαι.
Alij idem efficiunt caſeo, characteribus
quibuſdam notato, cum admurmuratio-
ne verborum: qui ſi reo exhibeatur, eum
nullo pacto poteſt comedere. Alij alias
eiuſmodi vanas in vſu habent exploratio-
nes,

nes, quibus non nego veritatem nonnunquam inquiri, non modo rationali, sed clam diabolo eiusmodi effectus moliente quibus semper comes veritas non assistit, cum mentiri & non hominum perniciem quærere illius sit studium vnicum. Et Pauli regula est non esse facienda mala vt eueniant bona. Cui consentit quoq; determinatio facultatis Theologicæ Parisijs facta anno 1398. his verbis: Quod licitum est vti magicis artibus, vel alijs quibuscunq; superstitionibus à Deo & ecclesia prohibitis, pro quocunq; bono fine error. Boni quidem speciem habere videtur, inquirere veneficas & meritis pœnis inquisitas afficere. Verum non res mali sed pessimi exempli explorationes instituere impias & cum natura pugnantes, vbi aliæ præsto sunt, iuri & æquitati ne tantillum reluctantes.

Leuissimum ergo hoc argumentum è subiecto intellectus & ipsa consuetudine ductum hisce telis petitum labefactabitur, & facilè concidet, præsertim si logicæ intelligentiæ iudicio experimentum dictum eximatur, eiusq; erroneam & iniquam consuetudinem esse conuincatur. Id quod satis clare ex anterioribus, nos demon-

demonſtraſſe, & nunc etiam ipſis legibus arguiſſe putamus, modo veritas apud bonos patrocinium obtinere poterit. Quæ enim inani præſtigiarum ſpecie nobis offunduntur quomodo in logicũ quid cadunt, & rationi obtemperant? Quomodo conſuetudines errore inuectæ & populo ſolùm propter rei nouitatem probatæ in legis naturam abire poſſunt? Deſinamus igitur ſilentibus rationibus & legibus præſtigioſum hoc ſpectaculum plebi amplius exhibere, cum tutiora in medio ſint, quæ diuinarum & humanarum conſtitutionum terminos non tranſiliunt, ita vt in læſæ maieſtatis diuinæ crimen nicidamus, nec humano generi perniciem vllam cogitemus.

Ad argumentum merè Phyſicum nunc nos accingamus, ſumptũ à corporũ leuitate, huiuſq; robur pro virili excutiemus. Cæterum cum per ſe inualdũ hoc eſſe ipſe ſubolfecerit de eius lubricitate cõfeſtim occupando proteſtatur, quod nimirum aliarum fœminarum materia & forma eadem ſit, quæ veneficarum. Quapropter cogitur aliam huius euentus demonſtrãdi viam inire, cum videat cauſſam in raritate & leuitate non eſſe poſitam. Dicuntur

tur quidem mulieres rariore & teneriore carne esse præditæ ipsis viris: attamen illa raritas (quæ corporis molliciem & laxitatem tantum respicit) ponderi & grauitati nihil adimit, quò minus aquis non submergantur, experientia teste. Assumens itaq; aliud principium dicit: Veneficas priotis suæ formæ statũ eo momento, quo primum cum Diabolo paciscuntur,&nouæ formæ vestitum induere. Præterea realiter diabolum eorum essentiam & partes omnes occupare, vnde cum sit spiritus leuissimus fieri autumat, vt propter leuitatem communicatam non submergantur. Hæc quidem à Scribonio dicuntur sed quam verè vlterius examinandum restat.

Et primò falsissimum est eorum formas essentiales per pactum immutari, & alias induci. Nam pacta hominum essentias non mutant, vel diuina ea sint vel diabolica vel etiam humana. Sic DEVS nobiscum (nec obstat personarum dissimilitudo vt nonnullis placuit) pactum inijt nulla facta sensibili essentiæ mutatione, quod & de alijs simili modo dicendum erit. Est enim pactum animorum inter se in vnum & idem consensio dere-

aliqua

aliqua contrahentium, nulla interueniente vel in qualitatibus, vel in ſubſtantia facta alteratione. Deinde qui dicit diabolum rerum formas mutare, prorſus amens & delirus eſt, nec principijs philoſophicis recte inſtructus.

Formarum enim origo eſt iuſſus diuinus quo res ſingulæ, ſibi ſimile quippiam propagandi, vim ſunt ſortitæ. Et cum creationis opus nequaquam diabolo competat, quid eſt quod formæ immiſsionem aliquam nouam ipſi adſcribamus? quam ſolus DEVS (præſertim in homine) ſibi reſeruauit. Hinc Theologi veteres rectè cenſuerunt Dæmones inſitæ ſubſtantiæ viribus, ſi permiſsio accedat poſſe ea perficere, quæ motu locali & conueniente ſcitaq; agentium & patientium coniunctione conflari poſſunt, rerum autem naturas contra materiæ habilitatem à creatore inditam nullo pacto poſſe immutare. Cum autem corporeæ materiæ certam quandam habilitatem & præparationem formæ inducendæ phyſico modo eſſe oporteat, qualis ab illis non poteſt produci nouæ etiam formæ immiſsio facilè per ſe corruet. Et ſi ex pacto noua forma emergit ſequetur,

vt

vt nouam quoq;, quæ corpus informet immittat animam priore abolita, quorũ neutrum ab ipso fieri potest. Dum modo enim homo est & permanet venefica, id solum ab anima informante obtinet. Atqui nouam eam ipsum non ꝓducere hominis seductio & corruptio prima meridiana luce clarius ostendit. Nam prima illa primorum parentum instinctu diaboli facta deprauatio, non essentiali formæ destructionem intulit, sed in qualitatibus essentiæ tamen simplici conuenientibus eam anima est experta. Posita enim vel leuissima ipsius essentiæ corruptiõe ipsam statim interijsse oportuit. Quo concesso videremur sanè pernicioso illi dogmati patrocinari, quod de peccato substantiæ hoc tempore à nonnullis renouatum est. Proinde quando scriptura loquitur de veteri & nouo homine, de carne vel spiritu, non hæc essentiarum sunt nomina, quandoquidem regeneratio illa, vt Nicodemꝰ putabat, non essentiæ sed qualitatum fit ratione, per vitæ prioris emendationẽ & actionum Deo congruentium nouitatem. Nihil igitur est cum forma eiusmodi, noua esse ex pacto non possit, neq; ab illo produci, quod inani persuasione nobis obtru-

obtrudatur, ad leuitatem corporum, & natationis aptitudinem demonſtrandam vt deinceps oſtendemus.

Sine dubio ſcit Phyſicus ille ad leuitatem corporum non adſumendam eſſe formam, ſed materiam: Forma enim rei perfectio & abſolutio eſt, neq; corporis affectibus aut alijs accidentibus eſt obnoxia; materiæ autem habilitas, inſtructio & apparatio pro cauſſarum diuerſarum ratione, varijs affectionibus eſt expoſita. Leuitatis itaq; cauſſas quærimus in materia rara, poroſa, aërea & laxa, quæ facit, vt corpora quædam aquæ ſupernatent, vt lignum, fungorum genera, pennæ & alia ſimilia, alia craſsiora, compactiora & ſolidiora ſua grauitate fundum petant, vt metalla in terræ viſceribus genita. Cæterum cum antea ex Theologorum decreto dictum ſit, Demones rerum naturas contra materiæ habilitatem à creatore inditam nullo modo poſſe immutare: neminem ſpero in hac controuerſia illi aſſenſurum, modò extremis labijs principia phyſica deguſtauerit. Quæ enim materiæ peculiaribus qualitatibus præditæ accepta ſunt ferenda, illa perperam formæ adſignantur, quæ ad effectus illos producen-

dos, prorsus est inefficax, quadoquidem per se nihil agit forma vel patitur, sed totum dicitur varijs affectionibus obnoxium ratione materiæ dissimiliter temperatæ, vt Aristoteles & cum eo Physici rectè docent. Vt autem firmioribus niti videatur argumẽtis, scribit partes omnes corporis realiter à Diabolo esse obsessas, vnde leuitati maius accedere contendit incrementum. Nos contrarium asserimus veneficas non esse obsessas corporaliter, sed mente tenus, quæ obsessio illis damnosa & capitalis, cum scientes volentes & vigilantes, commercium cum illo contrahant, quod de obsessis nemo vnquam ausus fuit dicere: Qui enim reuera obsidentur, affliguntur miserabiliter discerpuntur, præcipitantur, torquentur mirum in modum, neq; constant sana mente tempore paroxismi, nec corpore rectè valent, quod in strigibus non item fit. Striges non vtuntur peregrino idiomate, quod de obsesso quodam nobili testatur Fernelius: non de damnis vicino illatis dolent, nedum vt vlla vnquam scelerum pœnitentia ducantur. Proinde striges sumunt sibi potentiam edendi miracula, artem nocendi per venena, aut incanta-

Lib. de abditis reg. Cæs.

cantationem, gaudent conuiuijs, indulgent choreis, couerſantur & confabulantur cum diabolo quotieſcũq; placet, quorum nihil fit ab obſeſsis: imò potius immunes ab eo eſſe ore & corde exoptant. Quamobrem miror, maximè adeò abſurda ab eo fuiſſe prolata: quæ etſi ita reuera ſe habèrent, nihilominus eius ſententiæ patrocinarentur: Nihil enim dubitandum eſt, etiam obſeſſos ſimili modo vinctos & in aquam proiectos peſſum ituros. Satis clarè hoc docet hiſtoria Euangelica à Matthæo deſcripta: Ibi cum *Cap. 8.* Chriſtus duos obſeſſos liberat, petunt obſidentes Dæmones, vt in agmen porcorum ingtedi liceat, quod ita fit: agmen autem porcorum in mare præcipitatum ſubmergitur & perit. Hæc hiſtoria è diametro illius ſententiæ repugnat, quæ porcos reuera à diabolo obſeſſos, in maris profundum delatos eſſe ſcribit. Et quamuis à Paulo Dæmon dicitur eſſe ſpritus vel princeps aëris: attamen non rectè inde elicitur, ex materia aërea & leui illum conſtare, ſed quod ſpiritus ſint pernicitate velociſsimi, ita vt per aërem etiam momento ad diſtantiſsima commeent loca, vnde velocitas, diuinitatis loco à nonnnl-

lis est habita. Huc credo etiam respexisse veteres, quando spiritus omnes alites vocauerunt, instar alitum aëris tractus traijcientes, vnde angeli à pictoribus etiam alati pinguntur. Dominatum etiam in aëre habere rectè creduntur, quod ventos, tonitrua, pluuiarum impetus obortos nonnunquam horribiliter, si DEVS permittat, in hanc vel illam plagam detorqueant, ad vastandas fruges glandes, perdenda pecora, inundationes & similia: Neq; aërem solum occupant, Dæmones sed & aquam & loca subterranea, vt veteribus Platonicis visum fuit, dum aëreos aqueos & subterraneos statuerũt Dæmones: Damnatur similiter eorum sententia, qui Dæmones alios in oriente ex suo merito collocatos esse, alios in occidente, aliosin septentrione vel meridie sitos autumant, quibus in locis tanquam peculiariter ipsis destinatis commorentur & habitent. Inquieti enim sunt, & more prædatorum hic inde ad nocendum circum vagantur vt rabiem expleant. Nihil itaq; & hoc argumentum de obsessione ponderis habet, cum nullo modo venesicæ obsessæ sint, neq; si essent aliquid momenti ad leuitatẽ obsessio obtineret, vt

exemplis,

exemplis,&ipſa rei natura declarauimus. Quod præterea ad ſtabiliendã ſuã ſententiã, adducit prouectionem de vno loco in alium, idq; per aëream ſublimiorẽ, nihil probat, aut corporũ ſubtiliorem vel leuiorem conditionem demonſtrat. Transuectio enim illa nihil iuuatur à ſubſtantia leuiſsima volatili &ſpirituali, cui ſe manciparunt, illiq; ex pacto obtemperaturas ſe obſtrinxerunt, vi & poteſtate præter corporum naturam ſubleuatæ, hinc inde nocturno tẽpore vagantur & diſcurrunt. Neq; Chriſti corpus à Diabolo in templi verticem & montis cacumen traductum vel tantillũ in ſuis qualitatibus fuit mutatum, aut aptius ad illam vectionem reddítum. Ita diaboli potentia non modo homines ſed & montes, ædificia, pijciuntur & loco mouentur, vt hiſtoria Iobi docet. Inualidũ itaq; eſt quod de aliter formata natura in veneficis prætendit, & de aptitudine ad tranandũ aërem confinxit, quando diaboli vis &potentia hoc efficere valet abſq; ſenſibili corporum alteratione. Non negamus fieri eiuſmodi corporum tranſlationem violentam neq; ab eorum partibus ſtandum eſſe putamus, qui hanc vanam & imaginariam eſſe iu-

dicant : In modo tamen huius video diuerſas eſſe authorum ſententias.

Affertur quoq; in medium obiectio de falſitate huius experimenti ex natationis natura & conditione dum ſpiritum cohibemus, de ſumpta, cui ſententiæ VVierum inniiti adfirmat : Verum ſpiritus cohibitionem non eſſe ſolam ſed adiuuantem natationis cauſſam ab ipſo rectè adfirmatur : nam ſcribit inſontes ſiue cohibeant ſiue non, tamen aquis obrui & ſubmergi. Poſſe etiam inſontes in ſuperficie aquarum ſuſpenſas hærere, extra omnem eſt controuerſiam, cum ſpiritus ille inquietis & rugiens quouis momento pernitiei hominum inhiet. Neq; dubium eſt quaſdam etiã nocentes ab aquæ ſubmerſione immunes eſſe, cum nondum Deo viſum ſit pœnas ab illis exigere quos ad certum tempus DEVS iudicio ſuo reſeruat, vti & in alijs ſceleribus hoc vſu venire quotidie experimur Hoc certè eſt quod Diabolus in hoc experimento quæſiuit, nimirum vt ex periculoſo, dubio, præſtigioſo & Chriſtianæ religioni contrario tentamine, pericula non ſolum corporis in nocentibus ſed & animæ in alijs extra culpam poſitis imminerent. Quis enim maxi-

maximum id esse peccatum negauerit, & animam sauciat, conscientiam turbat, Deum tentat & naturæ ordinem peruertit, VVierus verò vt supra ostendimus, verissimam huius caussam adserit, esse Dei permissionem, Diaboli potentiam quo magistratus illicita eiusmodi media vsurpans in superstitione & errore magis confirmetur, vti & hoc ipsum fit in alijs explorationibus in medium allatis quæ & fallunt sæpè, interdum veritati nituntnr cui obsequendum tamen non est cum sub mali specie inquiratur, quam vitandum esse Paulus monet. *1. Thessal. cap. 5.*

Obiectio altera de saluatione earundem commode omitti potuisset, cum maximè doleat diabolus, se omnes non posse in suos compedes Christi regnum labefactando conijcere. At nos agamus Deo gratias quod in tanta Diaboli tyrannide & sæuitia aliquos adhuc sub suis alis protegat & ab illis imposturis præstigiosis liberet. Cæterum in media caussarum naturalium productione, forsan imprudens & inscius author prolabitur ad caussas præternaturales nimirum ad Diaboli potentiam, Dei permissu illas in aqnis sustinentis. Agnoscimus sanè hanc caussam &

pro rato habemus, ſed cum ſpiritus ſit fallaciſsimus & imperſcrutabiles Dei diſpenſationes & occulta eius iudicia, experimento illi fides non erit adhibenda. In cogitantiæ illius adſcribendum puto, q̃ dum naturales inquirit cauſſas, ad prærernaturales tamen imprudẽter delapſus ſit, quarum illæ à certis pendent cauſsis, & cum ratione poſſunt adhiberi: hæ incertæ ſunt & vt irrationabiles fugiendæ.

Sed iñemor ſui ipſins tandem concludit & deuoluitur rurſus ad cauſſam naturalem, quam vt ipſius fert opinio ponit in ſpirituali quadam attractione, orta ex ſimili in earnm corpore contenta leuitate, atq; hanc pro efficiente ponit. An per attractionem, ſuſpenſionem quandam in aqua intelligat ignoro: alioqui non perſpicio ſatis, quid per attractionem intelligi velit, quandoquidem leuitas in corpore, non eſt attractionis alicuius cauſſa, ſed ſubſtantiæ raritas ſuſpenſionẽ in aëre vel aqua efficit. Neq; quæ leuia ſunt attractioni ſunt accommodatiora, vt de Agarico leuiſsimo conſtat. Is bilem ad ſe non trahit & è corpore educit, ſed ſubſtantiæ ſnæ hoſtilitate noſtræ naturæ contrariæ, vim expultricem ſtimulando id efficit.

efficit. Sic pulmones læuiſsimi aêrem non attrahunt, qui ad vitandum vacuũ ſpontè ad eos defertur. Ideoq; attractio illa vel ſuſpenſio ob ſpiritualem leuitatem in eorum corporibus, dari non poteſt, cum neq; reuera obſideantur, neq; formam ab alijs mulieribus tenent diuerſam. A ſententiæ itaq; noſtræ fundamentis ſuperius allatis, ne latum culmum diſcedendum putamus. Cauſſam finalem non improbarem, ſi media per quæ ad finem tenditur, ſic eſſent diſpoſita, vt aliquo modo poſſent tolerari. Quod cum non ſit finem retinebimus, vt puniantur illa facinora coram DEO abominabilia: ſed media explorationis finem præcedentia vt illicita ſummoperè deteſtamur & damnamus.

Quod attinet ad refutationes argumentorum contrariorum Scribonij, mirari ſatis non poſſum, quod ea ex alto deſpiciat & irrideat, quæ ſacræ ſcripturæ ſunt conſentanea, neq; citra prophanationem eiuſdem admitti poſſunt. Nihil obſtat nobis quod tale tentamen nonnunquam verum ſit. Conſtat enim non ſolũ veram fidem ſtabiliri miraculis, dum opus eſt ad ædificationem, ſed & falſam fidem in ſui damnationem, vel aliorum

probationem, idq; fieri non vt exemplo vel imitationi nobis ſint, ſed potius terriculamento ad Idololatriam & hæreſin vitandam & exterminandam, vt Auguſtinus monuit. Præterea quæ iure ciuili & Canonico non ꝓbantur, quomodo Theologicis legibus ſe ſubijcient, aut probabilitatis vllam ſpeciem nobis offerent. Peraguntur fateor multa in iudicijs & cauſsis criminalibus, quæ ex ſacris petita non ſunt, neq; peti commode poterunt: attamen iniquè illa in foro adminiſtrari, nullus credo affirmabit. Verùm hæc purgatio per aquam frigidam à Iurisperitis vt diabolica damnatur. Hoc in authorem retorquendum putamus, vtrum Chriſtianis vti liceat ijs, quæ Chriſtianæ religiõis fundamenta peruertunt, & blaſphema ſunt in Deum: Illa enim quantumuis cõſuetudine inueterauerint, retinenda non ſunt, cum conſuetudo mala fide inducta temporis diuturnitate præſcriptionem non acquirat. Ideoq; concedimus multa in forenſibus & domeſticis rectè fieri, in ſacris non præcepta, verum hoc conſtanter negamus non licere ijs vti, quæ ſacræ ſcripturæ è diametro repugnant, nec citra conſcientiæ labefactionem vſu recipi poſſunt.

Tertiæ

Tertiæ refutationis futilitas ex ijsdem poterit argui; quia vna & eadem eſt cnm priore. Affert etiam multa admitti à Thologis, qualia ſunt Adiaphora dicta, qnorum in diuinis mandatum extat nullum. Atqui parum hic obtinent Adiaphora in externis quibuſdã cultibus poſita quæ conſcientiam non ſauciant, neq; diuinorum præceptorum excedunt limites.

Secundi argumenti refutatio exquiſitius examinanda venit, qua phyſicarum contemplationũ ignorantiæ ſuos aduerſarios inſimulare videtur. Scribit enim multa præter naturam fieri quæ tamen non ſint contra naturam. Et cum præter naturam ſit illa purgatio, creditur ipſi ſingulare quid obtinere, & corpora ſagarum cum non ſubmergantur, aliter quã aliorum hominum eſſe diſpoſita. Quod primò adſerit multa fieri præter naturam quæ non ſint cõtra naturam paulò altius inueſtigandum videtur, vt appareat, quæ ſint contra, quæ præter, quæ ſupra naturam & quatenus huic propoſito demonſtrando conducant. Animaduertendum itaq, [illegible] rebus naturalibus opponi res non naturales, id eſt quæ à naturæ ordine non

non pendent: Hæ triplices ſunt, aut ἀντιφυσικὰ aut πρόφυσικὰ aut μετὰφυσικὰ. Ἀντιφυσικὰ ea ſunt, quæ contra naturam rerum proprieates & vim à Deo inſitam deſtruunt, vt mors ipſa, & huius cauſſæ violentæ. πρόφυσικὰ ea dicũtur quæ naturales vires aliquo modo impediunt & retardant, vt morbi omnis generis harumq; cauſſæ. μετὰφυσικὰ ſunt quæ ſupra naturam in re aliqua accidunt, non à vi aliqua rei inſita, non ordine naturæ, ſed extra ordinaria quadam & maiore Dei poteſtate, vt ſi ferrum vel venefica aquæ innatet. Hoc poſterius cum prioribus omninò nihil participat, neq; huius conditio naturæ legibus paret. Inquirendũ igitur erit in quam claſſem horum trium dictũ tentamen commodè poſsit referri.

Contra naturam eam non eſſe indicat, quod, vt norunt omnes, per hoc nulla fiat naturæ deſtructio, vt in morte. Fieri quidem præter naturam hoc agnoſcit: naturæ tamen non omnino contrarium eſſe autumat. Si non eſt contra naturam, neceſſe eſt vt cauſſæ naturales in medium proferantur, quod frũſtraneo molimine tamen author tentauit. Deinde quæ

præter

præter naturam ſunt in cenſu non naturalium habentur, quo idem dicit & inſcienter ſe ipſum implicat & naturæ ordinem turbat. Et ſi fit præter naturam, proferri cupimus cauſas præternaturales, quales in morborum inſultibus videri licet, nec aberit multum, quin lubentes in eius ſententiam deſcendamns. Artificialem video in ligatura decuſſatim facta, naturalem vel præternaturalem nullam, quæ naturali etiam, qualem prius commentus fuerat, prorſus refragatur. Quando dicimus multa fieri præter naturam, quæ non ſint contra naturam, intelligimus multa ſæpè in multis fieri præter uaturam, id eſt præter ſperatum naturæ ordinem, vel artifex hoc ipſum, vel natura ipſa effecerit in morbis deſperationi proximis. Ibi præter naturam hoc fieri dicitur, & quidem miraculo impropriè dicto, cuius cauſſa extra naturæ limites non eſt ſita. Sed ſi non eſt hoc experimentum contra naturam, facilè illi erit, huius euentus cauſſas inquirere quod haud dubiè tamen ipſum in primo limine franget. Cum igitur hæc præternaturalia ſint: neceſſe eſt, ſecundum omnes phyſicos, & hæc in non naturalium ſeu contra naturã

rerum

rerum numero recenſeri, conuincente hoc ipſum rei euidentia & veritate. Atqui cum per hoc nulla ſequatur naturæ deſtructio, ad non naturalia quoq; referri non poterit. Reſtat igitur vt ad ea transferatur, quæ omnino ſunt transnaturam & ſub nomine miraculorum comprehenduntur. Ea autem propriè ſunt miracula vel impropriè. Propriè miracula ſoli Deo competunt, quæ à nulla creata potentia potuerunt effici, ſi vel rem ipſam vel rei generationis modum reſpicias. Sub miraculis verò impropriè dictis, & hoc experimentum contineri extra omnem eſt controuerſiam, quocunq; tandem modo id fiat. Si permittitur, Diabolus eas in aquis ſuſtentare poteſt, præterquam quod aſtantium oculos faſcinare, & experimento fallaciſsimo, ſuperſtitioſam plebē dementare, & illudere poteſt, vt antè de Magis AEgyptijs & eorum miraculis præſtigioſis attulimus. Quamobrem quoſcunq; tandem neruos intendat Scribonius, nihil de cauſsis naturalibus vel præternaturalibus cuiquam poterit teſtatum facere, aut vlla veritatis ſpecie ad applauſum conciliandum apud mediocriter doctos ſe inſinuare. Solū hoc negoci-

negociũ quocunq; te vertas, ſuperſtitionis plenum eſt, & à diabolo, Deo conniuente totum proficiſcitur, quo nomine à prædictis cauſsis eximitur, & in Sathanæ ludum conuertitur. Atq; hæc ſatis ſint de Scribonij rationibus, quibus putat ſe rem ſatis belle demonſtraſſe.

Porro ſi quis à nobis ſcire deſideret, quod Iurisperitus forſan in dubium vocet, vtrum hæ conſuetudines vſu receptæ poſsint etiam abrogari, quando eæ ipſæ in iura vt vocant municipalia abire ſoleant. Huic obiectioni reſpondemus, quod conſuetudines etiam irrationales in bonis corporalibus aliquo modo poſsint tolerari: Verum in ijs negocijs, quæ Maieſtatem diuinam attingunt, & conſcientiam ſpectant, rectè illas aboleri poſſe Chriſtiana religio ſerio iubet, ne malafaciamus vt eueniant bona. Iura enim indagandi alias vias licitas proponunt quarum veſtigijs inhærere tutiſsimũ ſemper eſt habitum. Et magiſtratus diligenter ſibi proſpiciat, ne talibus errorum illecebris ſe inuoluat dictiſue præſtigijs applaudat ad populi fauorem aucupandum aut ludicra ſpectacula eidem exhibendo.

Hæc

Hæc fuerunt quæ hoc tempore de ſuſpecta purgatione Sagarum per aquam frigidam in medium afferre viſum fuit, non tam propter authorem quem magni ſemper feci, ob eruditionem multifariam, quam ipſius rei indignitatem & inauditam ſuperſtitionem Chriſtianis Magiſtratibus nullo pacto ſequendam vel approbandam.

Et primo quidem de quorundam populorum conſuetudinibus, authoritate iurisperitorũ confirmatis, egimus. Examinatis hiſce nullum inuenimus apicem, qui illis patrocinari videretur, præſertim qnæ de purgationum generibus in medium allata ſunt. Nulla enim ab authoribus probatur, præter eam, quæ fit per iuramentum, quæ & Pauli doctrinæ conuenit, cum inquit: Omnis controuerſiæ finis iuramentum eſt. In criminalibus tamen & alijs enormibus facinoribus alia inquiſitionis ratio ineunda, rectè à Iurisperitis proponitur. Purgationes aliæ dictæ vulgares per duellum, ferrum candens, aquam feruentem vel frigidam, prorſus à ſanioris mentis hominibus ſunt reprobratæ & reiectæ. Etſi autem priores noſtro propoſito minus inſerniant:

Hebr. 6.

ſeruiant: voluimus tamen cum ſub eodem genere comprehendantur earū mentionem facere, vt omnium communis natura, ſimul lectoribus patefieret. Demonſtrauimus ſatis luculenter, nihil communionis intercedere purgationi, quæ fit per aquam frigidā cum ea, quæ inſtinctu DEI per Moiſem populo fuit demandata, ſi quando ſuſpicio eſſet de adulterio. Differentiam quoq; in ritibus ſupra oſtēdimus maximā, ita vt nec quadrare huic propoſito poſsit, aut ad illius exemplar accōmodari & effingi, quod non amplius nunc obligat. Sine dubio hæc purgatio à Celtarum conſuetudine, qua Spurios à legitimis diſcernebant, ad nos vſq; manauit, & à Diabolo clanculum incredulis ſurrogata eſt. Proinde conſuetudine ſic inueterauit, vt adhuc hodie in vſu ſit, cum boni ſpeciem comparatione ad pœnam ſub ſe continere videatur, & tamen res ipſa per ſe facto ſint peſsima: Plerunq; enim in plebe quicquid ſemel admiſſum eſt, difficulter ex eorum animis excutitur. Neq; etiamſi paruas radices egerit, funditus extripatur. Præterea ſatis mirari non poſſum, q tam palpabiles nugas & ſuperſtitiones fœtidas

Christiani magistratus, neq; palpent, neq; olfaciant, imo potius cum sui ipsius dedecore exerceant. Explosa igitur hæc purgatio a Iurisperitis ob consuetudinem irrationalem, a Canonistis quod Ecclesiæ grauamen inde immineat conscientiæq; multum inde turbentur.

De Petri archi historia quid sentiendum sit breuiter quoq; attigimus, Si quid tale contingit in veneficarum oculis præstigiosum, certe quiddam est non reale, vt alijs exemplis declarauimus. In formarum sane mutatione Deus diabolo nullas concessit vires vt supra docuimus, quicquid alij, de mutatione hominum in lupos, boues vel alia animantia prætendant. Neq; fidendum Bodmo putamus, qui Nabuchodonosorem in bouem per septennium transmutatum ob communem esca autumat, vti & Magos AEgyptios veros fecisse serpentes statuit, & alia his similia vero minus consentanea. VVierus dum commiseratione erga veneficas ducitur, nec durius quicquam in eas decernit, ab alijs recte est refutatur. Interim tamen in hac purgatione cum aqua frigida ne latum culmum, ab eo discedendum esse existimo, quandoquidem

&

& ipſi ob ſuperſtitiones & præſtigias ſemper fuit habita ſuſpectiſsima. Et quanto ſæpius effectum ſperatum nanciſcuntur hæc experimenta, tantò magis vitanda & fugienda ſunt. Ad ſtabiliendum enim abvſum & ſuperſtitiones in incredulis, hæc à DEO ita occulto iudicio permittuntur.

Deinde progreſsi ſumus ad argumenta illius ex ſubiecto intellectus & ipſa cõſuetudine ducta horumq; cornua quam fieri potuit diligenter ſumouimus. Non enim cadunt in intellectum, aut ad leges Logicas reuocantur, quæ Dæmonum opera producuntur, & inani præſtigiarum ſpectaculo nos ſuſpenſos tenent inſidioſeq; illudunt. Simile quoq; iudicium erit de conſuetudinibus errore inuectis, vt ante monuimus. Quæ porrò habet de merè phyſicis, nimirum corporum eorundem leuitate, formæ ſubſtantialis mutatione, faciliore traiectione per aërem, demum ipſa corporali obſeſsione, ſimili perſpicuitate & diligentia tractauimus, reiq; veritatem enucleauimus. Non enim formæ mutatio, quam tamen ibi eſſe vel fieri per pactum negamus, leuitatem corporibus inducit, ſed materiæ certa diſpo-

ſitio. Neq; traiectio per aërem iuuatur à leuitate corporũ, quæ violenta eſt nullis naturæ cauſis obtemperans. Deniq; & falſa ſunt quæ de corporali obſeſsione proferuntur vt multis oſtenſum eſt argumentis, quæ quamuis adſit, à ſubmerſione tamen vix præſeruaret. Verum mox ſui ipſius immemor ad cauſſas præter naturales, vel potius ſupernaturales, nimirum ad Diaboli potentiam, DEI permiſſu, in ſuperficie aquarum eas detinentem rurſus delabitur, quod lubentes recipimus, ſi conſtans in ſententia prolata perſeueraret.

Vltimò author in manus ſumit, refutationes eorum, quæ ſententiam propoſitã infringere poſſe ipſi viſa ſunt. Quam feliciter autem hoc perfecerit, ex inſpectione ſuperiorũ ſatis innoteſcet, & præſertim ex ijs, quæ de naturalium & non naturalium conditione & diſcrimine, aliquantò prolixius in medium attulimus: Ijs enim diligenter examinatis, tandem eruimus, hoc experimentum obligaturam partim artificiale, partim ſupernaturale eſſe, quod miraeula propriè dicta & à Deo edita & impropriè dicta & à Diabolo profecta neq; veris cauſis naturalibus

bus ſubiecta comprehendit. In conſideratione igitur omnium argumentorum, ad Lydium lapidem reuocatorum, manifeſtè perſpiciemus, admodum leuia & lubrica authorem corraſiſſe, ad propoſitũ demonſtrandum prorſus elumbia, vel authoritates Iurisperitorum vel rationum phyſicarum pondera examines. Nos ſi quis meliora & veriora in lucem proferre poterit, non adeò erimus obſtinati, quin facilimè in aduerſariorum caſtra deſcendamus.

Admonitionis loco addendum putauimus, ad gubernacula rerum ſedentes commode poſſe receptam hanc alicubi conſuetudinem totam irritam facere & abolere. Nihil enim vetat omnia poſſe reſcindi & caſſari, quæ nefas eſt Chriſtianum hominem cogitare, nedum cum magna piorum offenſione in publicam ſcenam producere. Rei igitur veritate & euidentia conuicti, omnes magiſtratus, qui huic purgationi, in exploratione Sagarum locum dederunt, culpam grauem agnoſcent, & ne Dei meritam iram acerbius in ſe concitent in poſterum ab huius modi ludicris ſpectaculis abſtinebunt. Sic etenim iudicia licita, quæ ſancta & in

violata ſeruari decet, in diaboli ludum & Magiæ ſcholam degenerant & conuertũtur. Nihil dubitamus hanc purgationem, abominationem coram Deo eſſe, nec aliter ipſum hac offendi, quã olim transmiſsione puerorum per ignem in Deuto: prohibita. Nec eſt quod ignorantia iuris ſe excuſent, cum à multis antehac huius purgationis experimentum ſit reprobatum, & vt ſuperititioſum reiectum. Sed fit, quod plærunq; fieri ſolet, vt vulgus opinione etiam teterrima concepta, tam tenaciter eam retineat, quam teſta eius odorem, quo primum imbuta fuerit, diutiſsimè poſtea ſeruat.

Cap. 18.

Et nemini arctius opiniones conceptæ etiam futiliſsimæ inſident, quam imperito vulgo, quod ludicris iſtiusmodi rebus delectatur, neq; ſi de cauſis rerum abſtruſarum edoceatur, cui aſtipulandum ſit, propter ingenij ruditatem capere & aſſequi valet, Tumultuatur quoq; vulgus in abrogatione eiuſmodi ſpectaculorum, & dolet ea oculis præripi, ad quæ ipſæ veneficæ properant & vltro ſe ſiſtere ambiunt. Credo autem eas à diabolo ſic perſuaſas hoc facere ſpe ſubuerſionis, & liberationis à ſparſis rumoribus & ſuſpicionibus.

Verum

Verum fallit ſæpius,& in corporis diſcrimen nonnunquã & animæ perniciem impœnitẽtiæ tenaces ducit atq; præcipitat. Admirandum non eſt inter Ethnicos & prorſus Dei ignaros homines, huiusmodi diabolicas præſtigias floruiſſe,& adhuc impune exerceri: ſed plus dolendũ quam admirandum eſt, in hac media Chriſtianorum luce, multorum mentes tanta caligine & cæcitate inuolutas eſſe, vt abnegato & repudiato Chriſti nomine, in q̃ Baptizati eum ipſum induerunt, Diaboli efficiantur mancipia, ipſiuſq; ductu ad quæuis peſsima & Chriſtiano indigniſsima rapiantur facinora.

AEternum & veracem patrem domini noſtri IESV Chriſti, toto pectore inuocemus & rogemus, vt per hunc, (ad quod miſſus in mundum eſt) opera Diaboli deſtruat, furioſas machinationes anteuertat, fraudes mirificas aboleat, non vt ipſi Diabolo ſacra & placentia fiant, ſed Dei regnum apud nos augeatur, & virtute ſpiritus ſancti ſtabiliatur, quod non in hiſce terrenis ſed cœleſtibus conſiſtit, vbi locum ipſe ſuis parauit, quo nos omnes DEVS clementer prouehat, vt cum ipſo &omnibus

nibus angelis æternæ beatitudinis fruamur bono. Qui se diaboli laqueis irretiri & tentari patiuntur, dignas suæ Apostasiæ luant pœnas, legitimo ordine dictas, fraudulento hoc experimento à bonorum societate longissimè relegato, Amen.

Iacobus Strasburgius.

NIl tam blasphemum est, quod non reperire patronos
Possit, & auctorem reddere honorificum.